MICROLOGVS
DE ECCLESIASTICIS
OBSERVATIONIBVS.

Opusculum ante annos propè quingentos conscriptum ab homine antiquitatis Ecclesiasticæ studiosissimo, nunc primum verò integrum in lucem editum,

Opera Iacobi Pamelij Brugensis
S. Theol. Licent.



ANTVERPIÆ.
Ex officina Christophori Plantini.
cIↃ. IↃ. LXV.

Summa priuilegij.

REGIS Priuilegio cautum est, ne quis, citra Christophori Plantini voluntatem, opusculum cui titulus, Micrologus De Ecclesiasticis obseruationibus, nunc primum opera Iacobi Pamelij Brugensis S. Theol. Licent. in lucem editum intra sexenniũ imprimat aut alicubi impressum importet, vænalemúe habeat. Qui secus faxit, cõfiscationis librorũ, & vnius floreni in quemcumque librum pœna multabitur vt latius in Regio Diplomate expressum est, dato Bruxellæ. Ianuarij. 1564.

Signat. De la Torre

IACOBVS PAMELIVS BRVGENSIS LECTORI CANDIDO. S.

DVM *totus sum in conquirendis undequaque libris Rabani Mauri Archiepiscopi Moguntini, viri citra dubitationem omnem eruditiss. ac in sacrarum litterarum expositione versatiss. (quippe qui exactissimum in uniuersa Biblia sacra commentarium è veterum Theologorum monumentis collegerit) ad nos missus est è bibliotheca Septē fontiū Rabani titulo Micrologus de ecclesiasticis obseruationibus. Quem ubi primum inspexi, ac ex ipsis capitum titulis totius operis argumentum didici: mirum quantopere eo thesauro inuento sim gauisus, præsertim quod spes certa affulgeret, posse me suo iam tandem auctori*

librum illum adſerere, quem alibi incerto auctore citatum reperiſſem, vt qui nõ ignorarem ſcripſiſſe Rabanum de diuinis officijs. Verùm, dum paulo poſt penitius codicem introſpicio, & mentionem in illo fieri video Gregorij Papæ ſeptimi, atque Epiſcoporum Amalarij Treuirẽſis & Anſelmi Lucenſis, qui ſæculis aliquot Rabano ſunt poſteriores: illius non eſſe certò depræhendi. Neque tamen id me deterruit ab editione ſemel animo concepta, quin potius, quod tibi, Lector, gratũ illum fore mihi perſuaderem, è blattis ac tineis iam tandem aliquando eruendum ſuſcepi, hoc ipſo quoque munuſculo litterario conciliare me poſſe ratus ſtudioſorum animos, vt ſiquid penes ſe habeant Rabani, quo meum hoc inſtitutum tam pium promouere queant; communicare non grauentur. quod vt faciant, ad vnũ omnes etiã atque etiam rogo atque adeo obteſtor. Acceſſit & alia occaſio, quæ me

velis

velis remisque (quod aiunt) in hãc impulit sententiam: Synodus nouissima Tridentina Patres quosdam certo numero delegit, qui ad euitandam illam, (quam calumniantur nostri sæculi Aristarchi) rituum ecclesiasticorum discrepantiam, Breuiarium ac Missale componerēt; quæ suis numeris absoluta, toto Christiano orbi obseruanda auctoritate Apostolica proponerent. Hos quum non dubitarem ad ritum veterem Ecclesiæ Romanæ omnia redintegraturos, atque ad eam rem non parum conducere posse nostrum Micrologum; ego illum primo quoque tempore euulgandum censui, vtpote è quo resarciri posse tantum non existimarem, quicquid à primæua illa Romani ordinis institutione variatum esset. Neque verò inficias eo, extare etiam aliquot huius argumenti scriptores, qui multũ ad hanc rem conferre queant, è quorum sunt numero dictus Amalarius, VValafridus,

Strabus ac Honorij Gemma: at ſi ad hũc noſtrum conferantur, perparum; præſertim cùm deſiderentur Amalarij tres libri qui de officijs anni totius pertractant; illum quoque diligentiſſimè euoluerit auctor Micrologi additis alijs quibuſdam, quæ meritò apud omnes momenti aliquid habere debeant, idque è libris vetuſtioribus, quorum hodie vix quicquam præter titulos extat, nempe è D. Gregorij Sacramentario ac Antiphonario, (ita olim inſcribebantur) ac libro Lectionũ D. Hieronymi, quem Comitem inſcripſit, ad quos velut ad regulam Lesbiam adaptari voluit officia eccleſiaſtica. E quibus, mea quidem ſententia, rectius priſtinæ integritati omnia reſtitui poſſint, quam è Miſſalibus aut Breuiarijs, quæ hodie circunferuntur: quæ quanquam Ordinis Romani nunc noui, nunc antiqui præ ſe titulum ferant, non per omnia tamen cum illo conſentire aucto-

auctores citati, ac noster hic manifestum faciunt. Exemplis quod dico comprobari poterat, tum de Euangelio ad Dominicã Aduentus primam ac Dominicarum vagantium intercalatione post Pentecosten, tum de nõ obseruata ad amussim Euangeliorum cũ Orationibus concordia, quã præscripsit D. Gregorius. Verùm hoc loco ijs supersedẽdum putaui, ne cuiquam prolixitate nimia molestus sim, neue Censoris mihi munus arrogare videar. Si quis eius rei sit curiosior, cõsulat XXIX. XXXI. XLI. *ac postrema duo Micrologi capita. Hoc vnum dicere non verebor, minus nouitatis ortum iri in cæteris per orbem ecclesijs, si ritum illum veterem Romanum sequantur Patres, quàm si recentiorem hunc nulla sui parte immutatum retineant. Ad illum enim quàm proxime accedunt omnes pene totius orbis Romani ecclesiæ ac nostra quoque Brugensis, nunc cathedralis, iam inde*

verò ab annis ſeptingentis Canonicorũ collegio inſignis. Hunc verò non multis ab hinc ſæculis, ſiqua hiſtoriæ habenda fides, è Sacello Pontificio mutuati ſunt patres inſtituti Franciſcani, ac poſtmodũ ſoli ferè Romani in vſum receperunt. Teſtatum id reliquit ante annos propè ducentos circa annum Domini 1380. Radulphus de Riuo Tungrenſis Decanus, in libro (quem penes me manuſcriptum habeo) de Canonum obſeruantia. Apud illum Propoſitionis 22. hic eſt titulus: Ordo ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, nõ ex vſu fratrum Minorum, ſed ex ſacris Canonibus, ſcripturis authenticis, libris antiquis, generalique & proportionali locorum conſuetudine, colligatur. *Quod cùm multis argumentis è re ipſa petitis, collatione rituum inter ſe facta, ſparſim toto opere aſſeruiſſet: hoc loco idipſum duplici ratione hiſtorica latè deducit; nos verò in ſummam contraximus. Harum prior*

prior, quod ipse Romæ didicisset, in Sacello Pontificio apud Lateranũ, non tam plenè solere fieri officia ecclesiastica, atque in alijs Collegiatis vrbis ecclesijs; imò id Capellare officium, ita vocat, breuius fieri consuetum, ac sæpius à Pontificibus variatum, atque id esse quod fratres Minores obseruandum susceperunt, quippe cuius Ordinarium ipse Romæ viderit à tempore Innocentij Papæ tertij collectum. Altera, quod Nicolaus Papa tertius sub annum Domini 1277. remotis à reliquis quoque vrbis Ecclesijs libris antiquioribus, breuiaria ac libros Missales ordinis fratrum Minorũ in vsum introduxerit, ac per omnes vrbis ecclesias obseruari mandauerit, vsqueadeo vt ætate sua Romæ libros omnes Radulphus nouos repererit. Sed hæc extra scopum, illud verò ad institutum nostrum propius pertinet, quod habet ille; Aliæ autem nationes, inquit, orbis Ro-

 mani

mani libros & officia sua habent è directo ab ipsis ecclesijs Romanis, & non à Capella Papæ, sicut ex libris & tractatibus Amalarij, Vvalefredi, Micrologi, Gemmæ, & cæterorum de officio diuino scribentium colligitur euidenter. Quæ verba eò lubētius huc adduximus, quod Micrologi nostri argumētum paucis explicent, quem tanti fecit ille, vt præ reliquis, eius potissimū auctoritate nitatur, ac integras aliquando paginas in suum opus ex illo transcripserit: vnde quædā etiam loca restituimus, vt hic etiam innotescat, non à me primùm, sed iam olim ab illo in precio habitum Micrologum. nec mirum cuiquam videatur, quod sine auctoris nomine emittere illum in lucem non sim veritus; quippe quod etiam id ætatis ignoratum sit à viro antiquitatis ipsius perscrutatore vigilantissimo. Ego verò, (vt ad illum nostra redeat oratio) quisquis tandem huius libri fuit

auctor,

auctor, humilitatis ergo prætermisisse suum nomen arbitror, vti ab alijs multis factum reperimus. Nam quod quidam Bernoldo Constantiensi asscribant, ex cõiectura est, eo quòd Romanum ordinem ab illo descriptũ testetur Tritenhemius: nec temporis ratio satis conuenit. Ab alijs Ioannis Micrologus inscribitur; sed quis ille Ioannes fuerit, nescio. Vixisse autem constat Auctorem ætate Gregorij septimi Pontificis, quem Romanæ sedi suo tempore præsedisse non obscurè subindicat, quanquã iam defunctũ, cùm hæc scriberet: familiarem quoque fuisse se significat Anselmo Lucensi, qui fuit Gregorij VII. *cooperator indefessus. quorũ vterque floruit, atque adeo & auctor noster circa annum Domini* 1080. *ante annos prope quingentos: qua ætate cùm obseruata adhuc fuerit quibusdam in locis communio Eucharistiæ sub vtraque specie, non est quod miretur quisquam,*

siquid

ſiquid alicubi in Micrologo ſcriptum repererit de eius generis cõmunione. Quanquam tamen ſatis colligi detur ex capite 17. iam tum vſitatam fuiſſe Communionem infirmorum ſub altera, panis nempe ſpecie duntaxat. Verùm de his aliàs fortaſſe latius, vti etiam de Miſſis tum publicis, tum priuatis, quas vtraſque agnoſcit non vno in loco Micrologus. Quicquid præterea ille cõtinet animaduerſione dignum ad marginem adnotatum reperies. Ceterùm ſiquis me actum agere dicat in publicando Micrologo, quẽ iam pridem viderit ab alijs editum, hoc illi reſpondeo: non niſi mera illa eſſe fragmenta, hunc verò noſtrum 40. capitibus auctiorem, illa de Miſſa ritè celebranda duntaxat, noſtrum de ceteris quoque totius anni officijs pertractare. Quare cũ tibi, Lector, ſatisfactum abundè exiſtimem, ne præfationis modum excedere videar, vela orationis contraham: tu

quic-

quicquid, id est, æqui, quæso, boniq́ue consulas. Certè si placere intellexero, etiam alios aliquot eiusdem argumenti libellos non visos hactenus, propediem in lucem proferre est animus. Tu interea vale ac fruere.

Variæ lectiones, & errata, in quibusdam præsertim exemplaribus, admissa.

Pag. 23. vers. 21. Adeo 26. 22. alius 29. 5. in 19. mutuauit. 30. 1. In calice 20. Oremus. Præceptis ibidem 21. 1. tamen 8. inde 34. 20. ad marg. centius 3. suo 36. 10. ad marg. quorūlibet. 41. 25. ad marg. Exaltatio 42. 8. & cum ipso, & in ipso &c. 22. Cum dicimus 44. 10. Vnum 47. 26. In marg. Pontifice 51. 22. ante communionem populo 53. 16. ad marg. benedicere 55. 24. Sequitur 56. 8. adunare 17. suisque Ibidem 20. viuo & vero. 23. addatur: virginis Mariæ 58. 26. munera 59. 12. per Christum 60. 5. addatur, semper 61. 1. super, 5. tertiam 11. osculato 64. 1. Vernum, 3. autumnale 65. 24. quicquid 68. 20. secundam 71. 12. sexta feria, 18. vt hoc 73. vlt. iuxta computationem 76. in marg. Durātum 77. 7. Gradualia Ibid. 15. lectionibus Ibid. 22. Antiphona, pro, autem. 78. 25. quæ 80. 24. sanctum Cal. 83. in marg. freq. in seq. 86. 6. post ipsa ibidē 10. inofficiatur 90. in marg. singularū 93. 6. earū 94. 6 tot offi. ibid. 18. earum 95. 22. tamen 96. 8: In Euangelio Antiphona: 97. 13. cantum 98. 17. quam 19. quàm 101. 6. per se 104. 22. sancti mentionem fin. 108. 12. Alleluya autem 109 16. & 17. celebramus Romano more Sciendum autem 111. 17. soluitur 113. 7 incipimus ibid 9. quinque, quinquepart. ibid. 25. constituit vt in marg. del. De. 114. 2. dimisit. ibidem. sicut Do. 124. 14. Antiphonæ 125. 10. quia ibid. in marg. Annotinum 125. 4. Si. Ibidem. 5. natalē 127. 16. prætermittunt, 128. 9. festiuè 130. 21. Alboinum, siue Albinū 131. 22. authenticis 133. 14. adaptauerit ibid. 18. Et, superfluum.

Capita ſequentis opuſculi.

De introitu Miſſæ. 1
De Gloria in excelſis, & Dominus vobiſcum 2
De prima oratione in Miſſa 3
De numero orationum 4
De Authenticis orationibus 5
De concluſione orationum 6
De concluſione ſeu confirmatione orationum 7
De Epiſtola ad Miſſam legenda 8
De Euangelio legendo 9
De oblatione in altari componenda 10
Quid ſuper oblationem ſit dicendum 11
Quid auctum ſit in Canone 12
Quid ſuperfluum ſit in Canone 13
De ſignis ſuper oblationem 14
De acceptione oblationis in manus 15
De commemoratione Dominicæ paßionis 16
De commemoratione mortuorum & reliquis obſeruantijs vſque ad finem Canonis 17
De panis fractione & communicatione 18
De vitanda intinctione 19
Repetitio à ſuperioribus 20
De benedictione poſt Miſſam 21
Quid agat ſacerdos poſt Miſſam 22
Breuis deſcriptio celebrandæ Miſſæ 23
De vernali Ieiunio 24

De

De æstiuali Ieiunio 25
De autumnali Ieiunio 26
De hyemali Ieiunio. 27
De officijs eorundem Ieiuniorum 28
De vacantibus Dominicis 29
De Aduentu Domini 30
De Euangelio, Cum appropinquaret 31
De historia, Clama 32
De septem diebus ante natale Domini 33
De Natali Domini 34
De secunda vespera sancti Stephani 35
De Innocentibus 36
De officio, Dum medium silentium 37
De eodem officio in alia Dominica repetendo 38
De octaua Domini 39
De Epiphania 40
De Dominicis post Epiphaniam 41
De duobus festis in vnũ diem concurrẽtibus 42
De martyribus Romanis Pontificibus 43
De octauis sanctorum 44
De priori vespera Dominicarum 45
De aqua aspersionis, Gloria in excelsis, Ite missa est, Credo in vnum 46
De septuagesima 47
De festis infra septuagesimam vel quinquagesimam concurrentibus 48
De capite Ieiunij 49

De

De quadrageſima 50
De oratione ſuper populum 51
De diebus Dominicæ paßionis 52
De ſabbatho ſancto 53
De Paſchali obſeruatione 54
De feſtis infra Paſchale tempus 55
De paſcha annotino 56
De Letanijs 57
De hebdomada Pentecoſtes 58
De octaua Pentecoſtes 59
De officio Sanctæ Trinitatis 60
De concordia & ordine officiorum 61
De Dominicali officio nõ facilè prætermittẽdo 62

MICROLOGVS DE ECCLESIASTICIS OBSERVATIONIBVS.

De introitu Missæ,

CAP. I.

PRESBITER, cum se parat ad missam, iuxta Romanã consuetudinem decantat psalmos, Quam dilecta, Benedixisti, Inclina domine, Credidi: Deinde, κύριε ἐλέησον, Pater noster, cum precibus & oratione pro peccatis, videlicet vt intus & exteriùs summo sacerdoti placere valeat: quem cũ sacratissima oblatione, sibi, omnibusque Christianis placare desiderat. Paratus autem intrat ad altare, & facit confessionẽ; quia scriptum est: Sapiens accusator est sui in principio. & antiquæ legis sacerdotes primùm pro se, deinde pro populo offerre soliti erant. Interim cantatur Antiphona ad Introitum, quæ ab introitu sacerdotis ad altare hoc nomen meruit habere. Hanc ad introitum dici, Cælestinus Papa in ordine quadragesimus quintus

Confessio sacerdotis cur instituta.

Prouerb. 18.

Sic etiam Amalarius è gestis Põtificum c. 5. lib. de officio Missæ.

κύριε ἐλέησον

instituit: cùm vsque ad eius tempora ante sacrificium Epistola tantum Pauli & Euangelium legeretur. Letaniæ quæ sequũtur propter ipsa Græca verba, à Græcis assumptæ creduntur.

De Gloria in excelsis, & Dominus vobiscum, CAP. II.

Officium Missæ post meridiem non dicitur.

Vide hac de re plura apud Damianum in tractatu inscripto, Dominus vobiscum.

IN omni festo quod plenum habet officium, excepto intra aduẽtum Domini, & septuagesimam, & natali Innocẽtium, tam presbyter quàm Episcopus, Gloria in excelsis dicent. Quod etiam nunquam post Meridiem legitur dicendum, nisi in Cœna Domini, vbi Chrisma cõficitur, & in sabbatis Paschæ & Pentecostes. Deinde versus ad populum dicit: Dominus vobiscum. Respondetur, Et cum spiritu tuo. Notandum ex his verbis, Plures esse debere respondentes, & vnum salutantem. Sicut enim ineptè respõderetur: Et cum spiritu vestro, cùm vnus esset salutator, sic incongruè salutatur per Dominus vobiscum, cùm vnus tantùm assit vel nullus. Hoc vtique beatissimi patres Apostolici, Anacletus quidẽ à beato Petro quintus, & Soter in ordine decimus tertius de-

cre-

cretis ſuis firmauere, vt ſacerdos ſemper vel tertius eſſet, dum Miſſas celebraret. Zacharias autem vir Apoſtolicus in ordine nonageſimus tertius conſtituit, ne ſacerdotes ad celebráda Miſſarum ſolemnia cum baculo intrarent, nec velato capite altari aſtarent. Sancti quoque patres in Aurelianenſi Concilio, capitulo tertio conſtituerunt vt ad ſalutationes ſacerdotis non ſolùm clerici, & Deo dicati, ſed & omnis plebs conſona voce reſpondeat.

Tertius ſaltem eſſe debet ſacerdos Miſſas celebrans.

Velato capite ſacerdos altari aſtare, prohibetur.

De prima oratione in Miſſa,

CAP. III.

SEQVITVR oratio quam Collectá dicunt; eo quòd ſacerdos, qui legatione fungitur pro populo ad Dominũ, omniũ petitiones ea oratione colligat atque concludat. Illæ tamen orationes ſpecialiùs Collectæ vocari videntur, quæ apud Romanos ſuper collectam populi fiunt, dum colligitur vt procedat de vna eccleſia in aliam, ad ſtationem faciendam, vt in capite Ieiunij illa oratio: Concede quæſumus, apud ſanctam Anaſtaſiá ſupra Collectam populi dicitur, qui ſtationem apud ſanctam Sabinam celebraturus eſt.

2. Cor. 5

Collectæ quæ propriè nuncupentur.

De numero orationum in Miſſa,

CAP. IIII.

Deſideratur ille Amalarij prologus.

Septenariũ numerũ raro orationes excedũt.

IVXTA Romanum ordinem non niſi vnam orationem ante lectionem dicere deberemus, vt Amalarius in prologo libri ſui De officijs ſe ab ipſis Romanis didiciſſe fatetur. Hoc vtique & inſtitutio officiorũ exigere videtur, vt, ſicut ad vnã miſſam, vnam tantum lectionẽ & Euangelium legimus, item vnum introitum, imò vnum officium cantamus: nihilominus & vnam orationẽ dicamus. Sed hoc iam pauci obſeruant; imò plures in tantũ orationes multiplicant, vt auditores ſuos ſibi ingratos efficiant, & populum dei potius auertant, quàm ad ſacrificandum illiciant. Hoc autem ſapientioribus multũ diſplicet, qui etſi aliquãdo antiquam traditionem, alijs morigerando, excedunt; in ipſa tamen ſua exceſſione modum tenere & aliquam rationem attendere ſolent. Vnde & in miſſa, & ſi non ſemper, vna tantùm oratione ſint cõtenti, ſeptenarium tamen numerum in orationibus rarò excedunt: quem vtique numerum, nec dominica oratio excedit, quæ cum ſolis ſeptem petitionibus omnia corpori,

&

& animæ neceſſaria comprehendit. Hoc autem ſummopere ſolẽt obſeruare, vt in Miſſa aut vnam, aut tres, aut quinque, aut ſeptem orationes dicant. Vnam, propter Romanam traditionẽ: Tres, quia dominus ante paſſionem ſuam ter oraſſe legitur: Quinque, propter quinquepartitam eius paſſionem, in cuius commemoratione eadẽ celebramus officia: Septem, quia & Apoſtoli ſeptem petitiones dominicæ orationis ad conſecrationem eorundem miniſteriorum frequentaſſe leguntur. In natiuitate tamen Domini ad Miſſam in mane Romani orationem de ſancta Anaſtaſia adijciũt: quia ſtationem in eccleſia eiuſdem martyris ad eandem Miſſam agunt. Et nos quoque illos in illa adiectione imitamur, licet non eandem adiectionis occaſionẽ habere videamur. Rariſſimè quidem diligentiores officiorum obſeruatores, alios in orationibus numeros admittunt, niſi & quos nos ſuprà cõpetenti myſterio inſignitos notauimus.

De Authenticis orationibus,

CAP. V

ALIAS quoque orationes, niſi anti- Vt approbatę ſint orationes.

quas, & Gregorianas difficillimè admittũt, vtpote quas in antiquioribus, & emẽdatioribus Sacramẽtarijs inueniũt. Nam octauum Africanę prouinciæ Cõcilium, (cui ſanctus Auguſtinus, imò ducenti & quatuordecim ſancti patres interfuerũt) capitulo duodecimo cõſtituit: Nullę preces, vel orationes, vel Miſſæ, vel præfationes, vel commẽdationes, vel manus impoſitiones dicantur, niſi in Concilio fuerint probatæ. Item tertium Carthaginẽſe Concilium (cui idem ſanctus Auguſtinus interfuit) capitulo vigeſimo tertio nullus ad altare Patrẽ pro Filio, vel Filiũ pro Patre nominet, ſed ſemper orationẽ ad Patrem dirigat, nec qualibet oratione vtatur niſi probata. Oratio quidẽ ad Patrem dirigenda eſt, iuxta Domini præceptum, qui diſcipulos ſuos ita inſtruxit, cũ eum interrogarent, qualiter orare deberent. Cùm ſtabitis, inquit, ad orandum, dicite: Pater noſter, qui es in cælis. &c.

Concil. Mileuitanum. Can. 12

3. Carthag. cõc. Can. 23.

Ad Patrem ſemper dirigenda oratio.

Luc. 11.

De concluſione orationum,

CAP. VI.

CONCLVDIMVS autẽ orationes, per Dominũ noſtrum, videlicet Patrem

oran-

orãdo per Filiũ, iuxta eiuſdem Filij præceptum, qui in Euangelio ita præcepit. Vſque modo non petiſtis quicquam Patrẽ in nomine meo; petite & accipietis. qui & effectum noſtris petitionibus, ſi per ipſum rogauerimus, promittit dicens: Quodcũque petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Vnde & orationes plurimas, vel penè omnes ſatis congruè ita cõcludimus: Per Dominũ noſtrũ. Paucissimæ enim inueniuntur, quæ pro cõpetentia ſenſus, alia cõcluſiòne finiãtur. Vt illa: Præſta quæſumus omnipotẽs Deus, vt natus ſaluator: Qui tecum viuit & regnat. Item & illa: Deus cuius filius in alta cælorũ Dominũ noſtrũ Ieſum Chriſtũ qui tecum viuit, &c. In qualibet autem concluſione commemorationem ſanctæ Trinitatis obſeruare ſolemus, iuxta quod in emendatioribus Sacramẽtarijs expreſſum inuenimus. [A deo enim ſancti patres inuocationẽ ſanctæ Trinitatis in orationibus ſiue benedictionibus obſeruabãt: vt nec in ipſis ſacrum aliquid ratum cenſerent, quorum cõfectioni inuocatio S. Trinitatis defuiſſet vt in ſacris Paulianiſtarum, quorum & baptiſmum ſiue ordi-

Ioan. 16.

In qualibet concluſione obſeruanda ſanctæ Trinitatis commemoratio.

Cõc. Nic. Can. 19. & 6. Synodus, Can. 97.

nationes in cōuersis iteranda censuerūt] Sciendum autem in illa visitata cōclusione, Per dominum nostrum, quòd Romanus ordo & antiquissima exemplaria nomen Dei interponunt, vbi dicitur: Qui tecum viuit & regnat Deus. quod tamen moderni post nomen Spiritussancti subiungere solent. Et hæc vtique consuetudo etiá apud Romanos & vsquequaque adeo inualuit, vt antiquæ traditionis executio iam non sine scandalo locum habere possit: quod iuxta Apostolum, & euangelium in tam leuibus [summo] studio deuitare debemus.

Non omittendū nomē Deus.

Rom. 14.
Math. 18.

[Iterum] de conclusione, seu confirmatione orationum,

CAP. VII.

SECVNDVM Romanam auctoritatem nullam orationem, Per eum qui vēturus est, cōcludimus, nisi sit exorcismus, in quo Diabolus per diuinum iudicium vt à creatura dei discedat, exorcizatur, siue adiuratur. Nam in alijs orationibus, quas, Per dominum nostrū, cōcludimus, patrem, vt nobis per amorem filij sui subueniat, imploramus. In exorcismo autem Dia-

Conclusio in exorcismis.

Diabolum per dei iudicium, vt aufugiat, increpamus. Omnes autem aſtantes iuxta antiquam ſanctorum patrum traditionem, in ſignum confirmationis, Amen, *Amen orationũ cõfirmatio.* ſubiungere debent, vt communem orationem, quam ſacerdos pro omnibus Domino libauit, confirment. Vnde & in ipſa ſecreta, Per omnia ſæcula ſæculorum, altiùs dicit, vt prę̨miſſa oratio per, Amen, à populo poſſit confirmari.

De Epiſtola, ad Miſſam legenda,
CAP. VIII.

SOLIS ſubdiaconibus [1] inferioris gradus Romana auctoritas cõcedit, vt ſacris veſtibus induti Epiſtolam legant ad Miſſam. Quod tamen non ex eorum conſecratione, ſed potius ex eccleſiaſtica conceſſione meruerunt obtinere. Vnde & rationabilius eſſe videtur, vt ipſe ſacerdos ſibi epiſtolam legat, quam vt aliquẽ nondũ ordinatum ſibi aſciſcat ad legendum. Nam beatus Hormiſda à ſancto Petro quinquageſimus [2] tertius Papa, capitulo tertio illum deponit, quicunque non ordinatus officium ordinati vſurpauerit: quod vtique non ex conſecratione, nec

1 inter inferiores gradus

Nam proprium & Lectoris officiũ Lectiones legere in eccleſia.

2 quartus

ex eccleſiaſtica conſuetudine vnquá promeruit. Canones etiá alios niſi ad hoc ordinatos in eccleſia legere, vel in [3] publico pſallere, vel Alleluia dicere, vel alicubi exorcizare, in diuerſis Cõcilijs prohibuere. Nihil autem obſtat, quin ſacerdos inferiorum ordinũ officia, ſi neceſſe fuerit, expleat: quem & omnes inferiores obtinere cõſtat, qui & in Miſſa ſacris veſtibus eſt indutus, ſine quibus iuxta Romanũ ordinem miniſtrare non debemus. Vnde & congruentiùs ipſe ſibi officiũ ſubdiaconi repræſentat, quàm quemlibet inordinatum, nec ſacris veſtibus indutum hoc explere permittat.

pulpito

Sine veſtibus ſacris miniſteriũ altaris fieri non poteſt.

De Euangelio [in qua parte ſit legendum.]

CAP. IX.

DIACONI quoque officium in Miſſa nihilominus & ipſe conuenientius explebit, quàm alij qui ſacris veſtibus non fuerit indutus. Nam etiam diaconus tẽpore oblationis & lectionis Alba indutus eſſe debet, iuxta quadrageſimum primũ Carthaginenſis Concilij quarti capitulũ, cui ſanctus Auguſtinus, imò ducenti, ſeptem

ptem

ptem & decem ſancti patres interfuerũt. Iuxta decretum Anaſtaſij papæ, non ſedetur [1]donec Euangelium legitur, quę reuerentia, vt aiunt, & Apoſtolicæ lectioni apud Græcos exhibetur. Diaconus cùm legit Euangelium iuxta Romanum ordinem in ambone vertitur ad Meridiẽ, vbi & maſculi cõueniunt: non ad Aquilonẽ vbi fœminæ conſiſtunt. Ad principalem enim ſexũ meritò vertitur, cui, vt Apoſtolus inſtituit, infirmior ſexus domi inſtituendus cõmittitur. Quod autẽ presbyteri ad legendũ Euangelium non ſe ad Meridiem vertunt, hoc ideo inoleuiſſe credimus, quia nec ordo illis iniunxit, vt in ambonem ad legendũ, ſicut diacones, aſcenderent, vbi neceſſariò ad maſculos potius quàm ad fœminas ſe vertere deberent. Nam iuxta eccleſiaſticam conſuetudinẽ ad altare legunt, vbi nulla diuerſitas auditorum approximat, quæ legẽtes magis in hanc partem quàm in aliam conuerti exigat. Nuſquã ibi fœminæ, ſed ſoli religioſi ad dexteram & ad ſiniſtram permittuntur ſtare. Ad ſiniſtrum verò cornu altaris habent librum cùm legunt Euãgelium, vel cùm ſacrificant vt in dextera parte

ſint

[1] dum

Gręci ad Epiſtolæ lectionẽ non ſedent.

Ambonẽ vocat quod pulpitum prius dixit.

Maſculi ad Meridiem, fœminæ conſiſtebãt ad Aquilonem.

Feminæ ad altare ſtare non permittuntur.

ſint expeditiores ad ſuſcipiendas oblationes, ſiue ad conficienda altaris ſacramenta. Vnde ad Aquilonem magis, quam ad Meridiem verſi videntur, cũ annunciant Euangelium. Hinc [1] itaque illa vſurpatio emerſiſſe videtur, vt etiã diacones in ambone contra Romanum ordinem ſe vertãt ad Aquilonem, potiusq́ue ſe ad partẽ fœminarum quàm maſculorum vertere non vereantur. Quæ vſurpatio iam adeo inoleuit, vt apud plæroſque quaſi pro ordine teneatur. Sed quia certiſſimè contra ordinem eſt, & inhoneſta, à diligentioribus ordinis ſeruatoribus meritò refutatur. Ordo quoque præcipit, vt, qui lecturus eſt Euangelium, crucem ſibi faciat in fronte, videlicet iuxta Auguſtinum, in ſede ipſius verecundię, vt eliminata omni verecundia, cum Apoſtolo non erubeſcant de Euangelio Chriſti, qui ſe in fine de illo erubiturum prædixit, quicunque eum hîc, vel verba eius coram hominibus erubuerit. Faciat etiam ſibi in pectore crucem, ne aliqua ſuggeſtio diaboli eũ impediat, quin puro corde euangeliũ dei annunciare valeat. Presbiter cum legit euãgelium, Romano more, planetam in dex-

[1] vtique

In frõte cur fiat crucis ſignũ, & cur in pectore.

Rom. 1.

Planetam appellat, quã nos ſtolam dicimus.

dexterum leuat humerum , vt expeditũ ſe terrenis affectibus eſſe demonſtret ad euangelizandum . Eadem quoque ratione & diaconi cùm legunt, planetam tantùm id ſiniſtro humero ponere vidẽtur. Item Romanus ordo præcipit vt incenſum ſemper præcedat Euangelium, cùm ad altare ſiue in ambonem portatur : nõ autem concedit, vt oblatio in altari thurificetur. quod & Amalarius in prologo libri ſui de officijs , Romanos deuitare fatetur; quamuis modo à pluribus, imò penè ab omnibus vſurpetur.

De oblatione in altari componenda,

CAP. X.

FINITO Euangelio ſtatim eſt offerẽdum, dum & offerenda canitur , quæ nomen de oblatione mutauit. Nam ordine præpoſtero deinceps offertur , poſtquam in altari propoſita oblatione ſacerdos populum hortatur ad orandũ. Sanctus Alexander Papa quintus à beato Petro conſtituit, vt panis tantum & vinũ aqua mixtum in ſacrificio domini offeratur , quia de latere domini ſanguis & aqua ſimul [1] profluxerunt. vnde Sanctus Cyprianus,

1 *profluxit.*

Cyprianus epiſtola ad Concilium de ſacramento calicis.

An

An calice, inquit, Dominico aqua vinō deeſſe nō debet, ne populus, qui per aquá iuxta Apocalypſin ſignificatur, à Chriſto ſeparatus eſſe videatur. Ita autem iuxta Romanum ordinem in altari componenda ſunt, vt oblata in corporali poſita, calix ad dextrum latus oblatæ ponatur, quaſi ſanguinē Domini ſuſcepturus quem de latere Dominico profluxiſſe credimus.

Oblatam vocat hoſtiam.

Nam oblatam ſiue panē in verum Chriſti corpus, ſicut & vinum in ſanguinē Dominicum conuerti non dubitamus.

Vera conuerſio panis & vini in corpus & ſanguinē Chriſti.

Solēt autē presbyteri, dum ſine miniſtris offerunt, depoſita oblata in altari patinam abſcondere ſub corporali, & fortaſſe ideo quia iuxta ordinē Acolitus debet eā tenere inuolutā inter ſacrificandū. Cooperitur quoque calix, non tam cauſa myſterij quàm cautelæ, vſque dū finito Canone dicitur: Oremus pręceptis ſalutaribus moniti. Diſcooperitur tādem, dum leuatur: vbi dicitur, Accepit & hūc præclarū calicem: & ibi, Per ipſum & cum ipſo. & hoc fortaſſe ideo, quia cautiùs leuatur ſine operimento, quàm coopertus.

Quid ſuper oblatione ſit dicendū, CAP. XI.

COMPOSITA autem oblatione in alta-

altari, dicit ſacerdos hanc orationem iuxta Gallicanum ordinẽ: Veni ſanctificator omnipotens, æterne Deus, benedic hoc ſacrificium tuo nomini præparatum. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Deinde ante altare inclinatus dicat hanc orationem, non ex aliquo ordine, ſed ex eccleſiaſtica conſuetudine: Suſcipe ſancta Trinitas hanc oblationem quam tibi offerimus in memoriam paſſionis, reſurrectionis, aſcenſionis. Quæ vtique oratio à diligentioribus ordinis & comprobatæ cõſuetudinis obſeruatoribus tam pro defunctis, quàm pro viuis ſola frequentatur; qui etſi multotiens plurimorum conſuetudini cedant, ſuperflua tamen ſummopere deuitant. Romanus tamẽ ordo, nullam orationem inſtituit poſt offerendam ante ſecretam. Erectus autẽ presbyter populum hortatur ad orandum, & ipſe poſt finitam ſecretam, præfationem orditur in Canonem, in qua ſupernorum ciuium ordines meritò cõnumerãtur, quia eiſdẽ myſterijs quæ ibi conficiuntur, iuxta atteſtationem ſanctorum patrum, intereſſe creduntur. Vnde & angelicus hymnus, id eſt, Sanctus, Sanctus, Sanctus,

Præfatio Canonis.

Myſterijs Miſſæ angeli intereſſe creduntur.

ſub-

Hymnus Angelicus Sanctus, Sanctus &c.

ſubſequitur, quem beatus Sixtus Papa in ordine octauus conſtituit, vt ante ſacrificium diceretur. Hunc autem hymnũ & ipſe ſacerdos cum alijs neceſſariò debet dicere, ne ſeipſum ſua prece videatur priuaſſe, qui & ſuas voces & aliorum angelicis laudibus admitti deprecatus eſt in præfatione. Iuxta Romanum ordinem nunquam ¹Miſſam abſque lumine celebramus: non vtique ad depellandas tenebras, cùm ſit clara dies; ſed potius in typũ illius luminis, cuius ſacramenta ibi conficimus, ſine quo & in meridie palpabimus vt in nocte.

1 *Miſſas*

Lumine cur vtamur in Miſſæ celebratione.

Quid auctum ſit in Canone,

CAP. XII.

ORATIONEM, quam Canonem, ſiue actionem, propter regularẽ ſacramentorum confectionem, Romano more appellamus, quis compoſuerit apertè non legimus; niſi quòd S. Gregorius quendam ſcholaſticum illam compoſuiſſe teſtatur. Multa tamen eidem Canoni à ſanctis patribus inſerta legimus: ſicut à Sancto Alexandro Papa in ordine quinto, ipſius paſſionis cõmemoratio interſeri iubetur

Gelaſius Papa, dũ adhuc ſcholaſticus eſſet, auctor Canonis qualẽ nunc habemus: antea verò quaſdam partes illius ab eccleſia receptas ſatis cõſtat. Vide Innoc. 3 in Can. Miſſæ ac VValafridũ de reb. Eccl. c. 22.

betur. Item, ſanctus Gregorius Papa primus, Dieſque noſtros in tua pace diſponas, vſque Per Chriſtum Dominum noſtrum. Et magnus Leo, ſanctum ſacrificiū immaculatam hoſtiam in Canone addiderunt. Item quoque Gregorius Dominicam orationem ſe Canoni adieciſſe in regiſtro ſuo aſſerit, vbi quibuſdā de murmurantibus humili reſponſione ſatisfecit: inconueniens eſſe aſſerens, vt oratio quam ſcholaſticus compoſuit, ad oblationem diceretur, & illa prætermitteretur, quam ipſi Apoſtoli ex inſtitutione Dominica in confectione eorundem ſacramentorum vſitaſſe [1] crederentur. In ſummis quoque feſtiuitatibus quædā Canoni in illo loco, vbi dicitur: Communicantes, vel, Hanc igitur oblationem, interponimus, quæ tamen ex antiquioribus & emendatioribus ſacramentarijs interponēda eſſe didicimus, videlicet in Natiuitate Domini, In Epiphania, in Cœna, in Paſcha, in Aſcenſione, in Pētecoſte. [Huiuſmodi interpoſitiones efficiūt, vt illud, communicantes, apertiùs per ſe, quaſi in catholica communione manentes, intelligamus, quàm ad ſubſequentium ſancto-

D. Greg. Regiſtri lib. 7. epiſtola 63. ad Ioannē Siracuſanū.

1 creduntur

G rum

rum communionem ipſum referamus. Nimis autem temerariũ videtur, vt nos aliqua Canoni ad noſtrum libitum adijciamus, niſi quę à ſanctis patribus adiecta vel adijcienda eſſe cognouimus, pręcipuè cũ inter ipſos ſanctos patres nulli aliquid adieciſſe legantur, niſi qui, & Apoſtolica auctoritate præditi hoc facere potuerũt. Optimum ergo videtur, vt in hac cauſa terminos noſtrorum patrum non excedamus, nec nos Apoſtolicæ auctoritatis reos efficiamus, ſi quod ſoli Apoſtolicæ auctoritati * competit Canonem noſtris interpoſitionibus augmentare præſumamus.

Soli Pontifices ad Canonẽ aliquid addidiſſe leguntur.

* conuenit

Quid ſuperfluum ſit in Canone,

CAP. XIII.

INTERPONERE enim ſolent quidam ibi ſuas orationes, vbi dicitur, Mem̃to Domine famulorũ famularumq;, & ante cõmemorationem defunctorũ. Item poſt nomẽ Domini Papę ſiue proprij epiſcopi, adijciunt: Et omnibus orthodoxis Catholicæ & Apoſtolicæ fidei cultoribus, ſed ſuperfluo. Nam ordo ſtatim

Certè particulas Canonis quas hic ſuperfluas facit Innocentius 36. ſuo tempore agnoſcit ac interpretatur, Annotauit etiam Radulphus de Riuo, non poſſe nunc illas omitti ſine ſcandalo.

tim in ſequenti verſu, vbi dicitur: Memento domine famulorum famularumque, nobis cōcedit, vt omnium viuorum commemoremus, quoſcunque voluerimus. Item poſt pauca addunt Pro quibus tibi offerimus, cùm in antiquioribus & veracioribus ſacramentarijs, non niſi ſub tertia perſona offerentes [1] ibi reperiantur. Item ibi: Vnde & memores nos tui ſerui, natiuitatem domini commemorant, cùm iuxta Apoſtolum in eiuſmodi ſacrificio, non Natiuitatem Domini, ſed mortem eius annunciare debeamus. Vnde & ſanctus Ambroſius, in libro ſacramentorum: Quotieſcunque, inquit, offertur ſacrificium, mors Domini, reſurrectio domini, aſcenſio domini ſignificatur. Quod & ſanctus Auguſtinus ſua atteſtatione confirmat. Quapropter & nos ibi tantum [2] paſſionis, reſurrectionis & aſcenſionis commemoramus. Hæc ergo omnia quæ nos adiectiua notauimus, ille proculdubio ſuperflua & eradenda iudicabit, quicunque antiquiores & emendatiores ſacramentarios diligenter inſpexerit. Sciendum eſt autem quod Romana auctoritas nomina viuorum fi-

1 *ſcripti*

Mors Chriſti, nō natiuitas in hoc ſacrificio cōmemoratur.

Vide Ambr. li. 4. de Sacramentis c. 6

2 *paſſionem reſurrectionē & aſcenſionē*

delium internumerare permittit, vbi dicitur, Memento Domine famulorum famularumque: ſimiliter & defunctorum, vbi iterum dicitur, Memento etiam & eorum nomina. Aliorum verò ſanctorum nomina annumerare non debemus, niſi quos in Canone inuenimus antiquitus deſcriptos, excepto poſt, Pater noſter, in illa oratione, vbi iuxta ordinem [4]quantumlibet ſanctorum nomina internumerare poſſimus. Et hoc etiam notandum, quod perſonæ prælatorum & ſubiectorum in Canone diſtinguntur. Vbi enim domini Apoſtolici ſiue Epiſcopi noſtri nomen aſſumimus, de prælatis agere videmur. De ſubiectis verò ſtatim in ſequenti verſu vbi dicimus; Memento Domine famulorũ famularumque tuarum. Item illud: Hãc igitur oblationem ſeru. de prælatis ſonat. Nam quod ſequitur, Sed & cunctæ familiæ tuæ, ſubiectos videtur intimare. Vnde &, Memores Domine nos ſerui tui, de prælatis: Sed & plebs tua ſancta, de ſubiectis agere non dubitatur.

Sanctorum nomina in Canone non recitanda, niſi quæ antiquitus in eo deſcripta ſunt.

4 *quarumlibet*

De

De ſignis ſuper[1] *oblationem,*
CAP. XIIII.

1 quæ ſuper oblatam fiunt.

De ſignis autem quæ ſuper oblationem à diuerſis diuerſè fiunt, nos ab Apoſtolica ſede potiſſimùm formam ſumere decreuimus, vnde totius Chriſtianæ religionis ordinem & originem ſuſcepimus. Nam & illi ſedi noſtro tempore Deus [talem] gubernatorem, reuerendæ inquam memoriæ Gregorium Papam impoſuit, qui ſub decem ſuis anteceſſoribus, à puero Romę nutritus & eruditus, omnes Apoſtolicas traditiones diligentiſſimè inueſtigauit, inueſtigatas ſtudioſiſſimè in actum referre curauit. Hunc ergo doctorem religione & auctoritate præcipuum, imò Apoſtolicam traditionem per ipſum in conſiderandis myſterijs potiſſimùm imitari decreuimus. Sicut nos ipſi per ipſum & per Epiſcopos qui eũ imitati ſũt, accepimus, imparẽ numerũ ſemper in diſpẽſatione ſignorũ ſuper oblationẽ obſeruamus, videlicet vnam crucẽ, vel tres, vel quinque faciẽdo; & hoc vtique non ſine certi cauſa myſterij. Nã in vna & tribus, vnum & trinum Deum intimamus. In quinque autem, quinquepartitam Domi-

Gregorius Papa 7.

Signorum impar numerus ſẽper obſeruãdus.

ni passioné significamus. Meritò autem impar numerus in ecclesiasticis officijs frequentatur, quia nunquam in duo æqualia vnitate impediente diuiditur, sicut vnitas sanctę ecclesię nullatenus eam in duo secari patitur. In primis vbi dicitur, Hæc dona, hæc munera, hæc sancta sacrificia; tres tãtùm cruces super panem & vinum communiter facimus, nec vnquam panem à calice separamus in consignatione, nisi vbi separatim nominantur in Canone. Ita autem illa communiter signamus, vt erecta pars crucis tãtùm super panem, transuersa autem super calicem protendatur. Nam erecta pars crucis corpus Dominicum sustinuit; transuersa autem, ipsius brachia distendit. Vnde & calix congruè sub [a] brachio eius collocatur, quasi de latere Dominico sanguinẽ Domini suscepturus. Cùm dicimus, Hác igitur oblationem, vsque ad altare inclinamur ad exemplar Christi, qui se humiliauit pro nobis vsque ad mortem crucis. Erecti autem cùm dicimus, Benedictam, asscriptam, ratam, tres cruces super vtrunque simul facimus. Non enim hic sola oblata signanda est, vt quidam faciunt,

[a] *brachia*

Inclinatio vsque ad altare.

nt, [3]ſed vtrunque ſignatur in oblatione. Nam ſequitur, vt nobis fiat corpus & ſanguis, ſubauditur, hæc oblatio. Et hoc cum dicitur, quarta crux ſuper panem & quinta ſuper calicem ſeparatim imponitur. Congruè autem prius tres tantum cruces ſuper vtrunque fecimus, licet quinque voces ad ſigna facienda æquipollentes haberemus, id eſt, Benedictam, aſcriptam, ratam, rationabilem, acceptabilem, videlicet vt quinarium non excederemus, & quintam crucem ſuper calicē, quinti quaſi vulneris Indicem, vnde ſanguis profluxit, competenter faceremus.

3 ſed vtrunque quia vtrunque ſignificatur in oblatione.

De acceptione oblationis in manus,

CAP. XV.

DEINDE panis in manus accipitur, & antequam reponatur in altare, benedicitur; Item & calix eleuatus ante depoſitionē benedicitur. Nam & Dominus in Euangelio vtrunque legitur benedixiſſe antequá dimitteret è manibus. Accepta enim in manibus benedixit; poſtea diſcipulis dedit. Item, vbi dicitur, Hoſtiá puram, hoſtiam ſanctam, hoſtiam immacula-

Matth. 26.

Quinque cruces poſt conſecrationem.

culatam, tres cruces ſuper vtrumque ſimul facimus: quia & vtrunque ſimul in eiſdem verbis intelligimus. Quartam autem crucem ſuper panem, & quintam ſuper calicem ſeparatim inſigimus, iterum ſanguinē Dominicū de latere Dominico profluentem deſignantes.

De commemoratione Dominicæ paſsionis, CAP. XVI.

NOTANDVM autem per totum Canonem Dominicæ paſſionis commemorationem potiſſimùm actitari, iuxta Domini præceptum in Euangelio. Hæc, inquit, quotieſcunque feceritis, in mei memoriam facietis. Et illud Apoſtoli. Quotieſcunque hoc ſumpſeritis, mortem Domini annunciabitis. Vnde & ipſe ſacerdos per totum Canonē in expanſione manuū non tam mētis deuotionem quàm Chriſti extenſionem in cruce præſignat, Iuxta illud: Expādi manus meas tota die. Non ergo digiti ſunt contrahendi ſemper, vt quidam præ nimia cautela faciūt. Malè enim cauti ſumus, ſi Chriſtum imitari ſummopere non ſtudemus. Congruum ergo eſt, vt manus expandamus

Matth. 26. Luc. 22.

1. Cor. 11.

Expāſio manuū quid ſignificet.

Iſa. 65.

infra

infra Canonem, hoc tamen obſeruato, nequid digitis tangamus præter Domini corpus. Presbyter autem manus raro remittere ſolet, niſi cùm neceſſariò propoſitam oblationem benedicere debet. Presbyter autem humiliationẽ Domini vſque ad crucem, vt prædiximus, nobis indicat; cùm ſe vſque ad altare inclinat dicendo: Hác ergo oblationem. Statim enim in ſequẽtibus narrationem de Dominicâ paſſione orditur, cuius typus vſque ad, ſupplices te rogamus, obſeruatur. Vbi videlicet ſacerdos ſe iuxta altare inclinans Chriſtum in cruce inclinato capite ſpiritum tradidiſſe ſignificat.

De commemoratione mortuorum, & reliquis obſeruantijs, vſque in finem Canonis,

CAP. XVII.

POST mortem Chriſti in cruce commemoratio mortuorũ ſubſequitur, quia nec aliorum [1]mortuorum commemoratio agenda eſt, niſi qui in Chriſti morte redempti ſunt, & in Chriſto hanc vitam finierunt. Cùm autem ſacerdos vocem exaltat dicens: Nobis quoque peccatoribus, Centurionem illum deſignat qui vi-

1 *defunctorũ.*

Exultatio vocis.

Matth. 27.

ſa morte Chriſti vocem exaltauit, dicendo, Verè filius dei erat iſte. Tres verò cruces ſuper corpus & ſanguinem communiter facit, cùm dicit, Sanctificas, viuificas, benedicis, in honorem ſanctæ Trinitatis. Poſteà cum corpore Dominico

Quinque cruces cum corpore dominico.

quatuor cruces ſuper calícem facimus, dicendo, Per ipſũ & in ipſo & cum ipſo, & quintam in latere calicis, videlicet iterũ vulnus Dominici lateris ſignificando. Vnde & calicem ex eodem latere cum oblata tangimus iuxta Romanum ordinem. Multi tamen tres tantùm cruces ſuper calicem, & duas in latere eius faciunt, ſed videtur incongruum, cùm Chriſtus nullum vulnus in latere habuerit [1] niſi vnũ. Sed reuerendæ memoriæ Gregorius Papa fecit, vt prædiximus, quod beatus Anſelmus Lucenſis Epiſcopus ita ab eo ſe didiciſſe teſtatus eſt, & hoc ita ſemper obſeruauit, nobiſque itidem obſeruandũ firmiſſimè inculcauit, cùm dicimus: Per omnia ſæcula ſæculorum, Corpus cum Calice leuamus, & ſtatim in altari depoſita cooperimus. Quia & Ioſeph corpus Dominicum de cruce leuauit, & in ſepulchro depoſitum lapide cooperuit. Huc

1 *præter*

Anſelmus Lucenſis.

vſque

vſque calix pro cautela coopertus videbatur, deinceps autem magis pro myſterio cooperitur, quia ſicut Chriſtus tres dies in ſepulchro fuit coopertus; ita & nos corpus Domini & calicem cooperimus, vſque dum tres articulos cōpleamus, quippe præfationem Dominicæ orationis & ipſam Dominicam orationem, & illam quæ ſequitur quæ embolis Dominicæ orationis nuncupatur. Iuxta Romanum ordinem cùm dicitur, Et ab omni perturbatione ſecuri, accipit archidiaconus à ſubdiacono patinam nudam quam acolitus tenuit inuolutam, & oſculatam dat vni ex diaconibus tenendam, ad cōfractionem in ea faciendam. Vnde ſacerdos ſine miniſtro ſacrificans ad eundem locum eam de ſub corporali abſcōditam reſumit, & oſculatā in altari deponit vt hoſtiam in ea cōfringat. Cùm autem dicit, Per Dominum noſtrum, rumpit hoſtiam ex dextro latere iuxta ordinem ad deſignandam Dominici lateris percuſſionem. Deinde maiorem partem in duo confringit vt tres portiones de corpore Dominico efficere poſſit. Nam vnam in calicem faciendo crucem mittere debet,

cùm

cur calix operitur.

Embolis Orationis Dominicæ: Libera nos Domine, &c.

Patinæ vſus

Hoſtiæ diuiſio in tres partes.

cùm dicit, Pax Domini ſit ſemper vobiſcum, ad deſignãdum corporis & animæ coniunctionem in reſurrectione Chriſti. Alteram verò ipſe Presbyter neceſſariò ſumit, ante calicis participationem, iuxta Dominicam inſtitutionem. Tertiam autem cõmunicaturis ſiue infirmis neceſſariò dimittit, nec hoc vtique ſine certi cauſa myſterij. Tripliciter enim corpus Domini intelligitur, vnum quod reſurrexit à mortuis quod ſignificat particula in ſanguinem miſſa: Aliud quod adhuc viuit in terra, ſignificatum per particulam à ſacerdote cõſumptam: Tertium, quod iam requieſcit in Chriſto, quod & à tertia particula in altari ſeruata aptè figuratur, quam viaticum morientium appellare ſolemus.

Tertia pars Hoſtiæ communicaturis aut infirmis reſeruabatur olim.

De Panis fractione & communicatione,

CAP. XVIII.

POST immiſſionem autem panis in calicem iuxta Romanum ordinem dicit ſacerdos ſub ſilentio; Fiat commixtio & conſecratio corporis & ſanguinis Domini noſtri Ieſu Chriſti. Beatus Innocẽtius Papa in ordine quadrageſimus quintus, conſti-

constituit, pacem dari post cõfectionem sacramentorum. Cùm pacem damus, dicere solemus, Pax tecum, Et cum spiritu tuo. Congruè autem pax datur ante communionem, quia iudicium sibi manducat & bibit, quicunque non prius fratri suo repacificatus communicare præsumpserit. Sergius Papa in ordine octogesimus sextus constituit, vt in tempore fractionis Dominici corporis, Agnus Dei à clero & populo decantetur. Videlicet vt ille nobis propicietur cuius corpus ibi confringi videmus & credimus. Facta autem confractione debent omnes communicare interim, cùm & Antiphona cantatur quæ de communione nomen mutuauit, cui & psalmus subiungendus est cum, Gloria patri, si necesse fuerit. Sciendum autem eandẽ Antiphonam, semper eundem psalmum cũ introitu habere, si non habeat proprium de quo sumpta videatur. Orationem quam inclinati dicimus, antequam communicemus, non ex ordine sed ex religiosorũ traditione habemus scilicet [hanc:] Domine Iesu Christe qui ex voluntate Patris. Itẽ & illud, Corpus & sanguis Domini

Pacem dari cõstituit Innocentius Papa primus. Antea verò apud Græcos iam olim id vsitatũ.

1. Cor. 11.

Sergius Papa Agnus dei cantari instituit.

mini nostri Iesu Christi , quod dicimus cum alijs Euchariſtiā diſtribuimus. Sunt & aliæ multæ orationes, quas quidam ad pacem & communionem priuatim frequentant, ſed diligentiores antiquiorum traditionum obſeruatores, nos in huiuſmodi priuatis orationibus breuitati ſtudere docuerunt, potiuſque publicis precibus in officio Miſſæ occupari voluerunt. Nam beatus Innocentius Papa ſcribens ſancto Auguſtino & Aurelio Epiſcopis, aſſerit quòd nos plus communibus & publicis quā ſingularibus & priuatis orationibus proficere poterimus.

Priuatarū Orationum breuitati ſtudendum in Miſſa,

De vitanda intinctione,

CAP. XIX.

NON eſt autem autenticū quod quidam corpus Domini intingunt, & intinctum pro complemento communionis populo diſtribuunt . Nam ordo Romanus contradicit, quia & in paraſceue vinū non cōſecratum cum Dominica oratione & Dominici corporis immiſſione iubet conſecrare, vt populus plenè poſſit cōmunicare. Quod vtique ſuperfluò preciperet,

peret, ſi intinctum Dominicũ à priori die corpus ſeruaretur, & ita intinctũ populo ad cõmunicandum ſufficere videretur. Iulius quoque Papa in ordine trigeſimus ſextus Epiſcopis AEgypti ſcribens huiuſmodi intinctionem penitus prohibet, & ſeorſum panem & ſeorſum calicem iuxta Dominicam inſtitutionem ſumenda docet. Vnde & beatus Gelaſius Papa in ordine 51. Scribens quibuſdam Epiſcopis, excommunicari illos præcepit quicũque ſumpto corpore Dominico, à calicis participatione ſe abſtinerẽt. Nam & ipſe in eodem decreto aſſerit: huiuſmodi ſacramentorum diuiſio ſine grandi ſacrilegio prouenire non poterit. Poſtquam omnes cõmunicauerint, dicit ſacerdos hanc orationem ſub ſilentio [iuxta Romanum ordinem.] Quod ore ſumpſimus. Qua finita ſequitur oratio ſiue orationes poſt cõmunionem dicendæ, quæ eodem numero & ordine orationibus ante lectionem ſiue ſecretis ante præfationem dictis debent reſpondere. Quæ vtique orationes, nõ pro his qui cõmunicaturi ſunt, ſed qui iam communicauerint iuxta proprietatẽ ſui nominis agũt: Ergo & ante ipſas communi-

Intinctio prohibita à Iulio Põtifices.

Orationes poſt communionẽ.

municare non negligant, quicunque earundem orationum benedictione foueri deſiderant. His ita finitis, ſubſequitur, Benedicamus Domino, vel, Ite miſſa eſt: ſi tamen aliquod feſtũ fuerit, quod Gloria in excelſis habere debuerit. Reſpondent omnes, Deo gratias, iuxta Apoſtolũ, pro collatis beneficijs agentes.

Repetitio à ſuperioribus Miſſæ.

CAP. XX.

VT autem à ſuperioribus aliquantulum repetamus, poſtquam ſacerdos reſurrectionem Domini per coniunctionem corporis & ſanguinis Domini denotauerit, ſubſequenter etiam pacem populo offerre debebit, ſicut & ipſe poſt reſurrectionem diſcipulis ſuis pacem obtulit, dicens; Pax vobis. Fractio oblationis illam nobis fractionem Panis inſinuat, quam Dominus poſt reſurrectionem ſuam coram diſcipulis fecit. Cõmunicatio populi, typum illius conuiuij gerit, quod non ſemel Dominus poſt reſurrectionem ſuã cum diſcipulis inijſſe legitur. Hos etiam poſt vltimum conuiuium ab eis diſceſſurus in cœlum benedixit, ſicut & ſacer-

Luc. 22.

dos

dos populum cum oratione poſt communionem benedicit, videlicet iam citò diſceſſurus ab eo, cui tamen prius vt ipſe diſcedat, per Ite Miſſa eſt, denunciat, in figuram Angelorũ qui diſcipulis diſcedente Domino ab eis, dixerunt: Viri Galilæi, quid ſtatis aſpicientes in cælum? & reliqua. Quo audito diſcipuli adorantes Dominum reuerſi ſunt in Ieruſalem, cũ gaudio magno, ſicut & populus relata Deo gratiarum actione ad propria cum gaudio reuertitur.

Ite Miſſa eſt.

Act. 1.

De benedictione poſt Miſſam.

CAP. XXI.

PRIVS tamen ab epiſcopo benedicitur ſi adeſt; ſin autem, à presbytero qui Miſſas celebrauit: Quamuis beatus Damaſus Papa hoc presbyteris non licere dicat, vbi de vana chorepiſcoporum ſuperſtitione tractat, ſi tamen nos mendoſitas exemplaris non fefellit. Sed magnus Leo Papa & Gelaſius Papa, eius ſucceſſores, in eccleſiaſticis officijs apprimè eruditi in decretis ſuis, vbi diligẽtiſſimè quid presbyteris liceat, quidue non liceat, deſcribunt: nullatenus illis benedictionem, ni-

Presbyteris pręſente Epiſcopo interdicitur benedictio.

D. Hier. eccleſiæ Romanæ Cardinalis.

D.Hier. Epiſtola ad Ruſtic. Narbon. Tom.

ſi Epiſcopo præſente interdicunt. Beatus quoque Hieronymus ſanctæ Romanę Eccleſiæ Cardinalis presbyter, qui ſub beato Damaſo & poſt ipſum vſque ad Sextū ſucceſſorem eius eccleſiaſticis inſtitutis ſtudioſiſſimè inuigilauit: Ipſe, inquā, Ruſtico Narbonenſi Epiſcopo de eccleſiaſticis ordinibus ſcribens, presbyteros à benedictione ſuper populum non prohibēdos eſſe aſſerit. Si, inquit, presbyter Chriſtum conſecrat, cùm in altario Dei ſacramenta benedicit, benedicere populum non debet, qui Chriſtum meruit conſecrare? Et poſt pauca: Hoc in eccleſijs tuis presbyteri faciant, quod Romæ ſui, quod in Oriēte, quod in Africa, quod in Hiſpania, quod in Britannia, quod in Gallia, quod in omnibus locis vbi humilitas perſeuerat. Ex his ergo conijcere poſſumus beatū Damaſum Papam huiuſmodi benedictionem presbyteris illicitam; aut penitus non dixiſſe, aut ſi dixit, Eccleſiaſticam tamen conſuetudinem in hoc præualuiſſe, præcipuè, cùm ipſius verba ita poſſint intelligi, vt presbyteros doceret vt eis quaſi ex proprio officio vſurpare non liceret, quod eis ab Epiſcopali auctorita-

te con-

te concedi poſſe non ignorarét. Sic enim cõfirmatio Neophytorum, penitus ſeparata eſt ab officio presbyterorum, quam tamen ſanctus Gregorius Papa, primus nominis huius, quibuſdam presbyteris conceſſiſſe legitur ſcribens Ianuario Calaritano Epiſcopo. Item & ſuſceptionem pœnitentium, non ex ſua conſecratione, ſed ex Epiſcoporum conceſſione, presbyteri habere meruerunt. Quod illum non latebit quicunque ordinem conſecrationis eorum, ſiue ſtatuta ſanctorum patrũ, diligenter inſpexerit. Agathenſe quoque Concilium capitulo quadrageſimo quarto benedictionem ſuper populũ Presbyteris prohibere videtur, ſed hanc prohibitionem de Epiſcopali tantùm benedictione factam interpretantur, quæ vtique benedictio iuxta vigeſimũ quartum Toletani Concilij capitulum, atteſtationeque ſancti Auguſtini ad Paulinum Epiſcopum, à communione in populo à ſolis epiſcopis debet impendi. Siquis vero de hac benedictione, de qua agimus, dictũ putauerit, ſententia tamen Prouincialis Concilij tam generali Eccleſiaſticæ conſuetudini præiudicare non poterit. Ideo

Confirmatio presbyteris aliquando ex priuilegio conceſſa a D. Gregorio. Sic & ſuſceptio pœnitentium, eorũ qui publicam agebant pœnitentiam.

autem huiuſmodi benedictio fortaſſe antiquitùs presbyteris interdicta eſt, quia ad Epiſcopale officium pertinere videbatur, & eccleſiaſtico conuentui nondum adeo neceſſaria reputabatur. Nam ſoli communicantes confectioni ſacramentorum antiquitùs intererant, quibus & oratio poſt communionem, quæ pro ſolis communicantibus inſtituta eſt, pro benedictione potuit ſatisfacere. Apud modernos autem, cùm iam populus communicare ceſſaret, nec tamen diuinis miniſterijs ſe ſubtraheret, neceſſariò permiſſum eſt, vt à presbytero benediceretur, ne tam benedictione, quàm communione priuatus diſcedere videretur. Siue autem ea occaſione ſiue alia, hoc presbyteris permitteretur ab Epiſcopis: adeo tamen in vſum iam vſquequaque deuenit, vt nequaquam abſque graui ſcandalo à presbyteris in populo intermitti poſſit, niſi fortè Apoſtolica ſedes generaliter & ſynodaliter prohibere voluerit.

Benedictio in locum communionis ſucceſſit.

Quid

Quid ſacerdos agat poſt Miſſam.

CAP. XXII.

FINITIS omnibus oſculatur ſacerdos altare, dicens: Placeat tibi ſancta Trinitas. Deinde ſacris veſtibus ſe exuens, cātat hymnū trium puerorū, iuxta quod patres in quarto Toletano Concilio decreuerunt capitulo 14. videlicet, vt excōmunicationi ſubiaceret, quicunque ſacerdos eundem hymnum poſt Miſſam dicere negligeret. Pſalmum quoque, Laudate Dominum in ſanctis eius, in gratiarum actione ſubiungens, cum, Pater noſter & orationibus ad hoc cōpetentibus, concludit eam cum oratione illa: Deus qui tribus pueris. Sciendum iuxta decreta Pontificum, quod presbytero non licet coram Epiſcopo, niſi eo iubente vel ſacrificare, vel populum docere vel benedicere, vel ſalutare, vel exhortari. Vnde cùm legit Euangelium coram Epiſcopo, benedictionem petit ab eo. Item, cùm vult ſacrificare, inclinat ſe Epiſcopo pro conceſſione, cui etiam à populo inclinatur, pro vltima benedictione.

Hymnus triū puerorum cantari iuſſus poſt Miſſam, Cōcil. Tolet. 4.

Benedicere presbytero coram Epiſcopo, niſi eo iubente, non licet.

Breuis descriptio celebrandæ Missæ.

CAP. XXIII.

Præparationes ad Missam.

PRESBYTER cùm se parat ad Missam, imprimis cantat psalmos; Quam dilecta, Benedixisti, Inclina, Credidi propter. Deinde, κύριε ἐλέησον, Pater noster, Et ne nos inducas. *Vers.* Ego dixi domine. Conuertere domine, Fiat misericordia, Sacerdotes, protector noster aspice. Domine exaudi. *Oratio.* Aufer à nobis domine iniquitates nostras & peccata nostra vt mereamur puris mentibus introire. *Alia.* Actiones nostras quæsumus Domine & aspirando preueni & adiuuádo prosequere, vt cuncta nostra operatio per te semper incipiat, & per te cœpta finiatur, Per dominum nostrum &c. *Paratus autem venit ad altare dicens* Ant. Introibo ad altare dei. Psal. Iudica me Deus, & discerne. *Et facit confessionem:*

Confessio ante Missam.

Confiteor Deo omnipotenti, istis sanctis & omnibus sanctis & tibi frater, quia peccaui in cogitatione, in locutione, in opere, in pollutione mentis & corporis. Ideo precor te, ora pro me.

Misereatur tui omnipotens Deus, & dimittat tibi omnia peccata tua, liberet te

ab

ab omni malo, & confirmet te in omni opere bono, & perducat nos pariter Ieſus Chriſtus Filius dei viui, in vitam æternã. Amen. Indulgentiam & remiſſionẽ omnium peccatorum noſtrorũ tribuat nobis omnipotens & miſericors Dominus Amen.

Cùm ſacerdos accipit oblationem, dicit, Acceptabile ſit omnipotenti Deo ſacrificium noſtrum: *Deinde calice in altari ad dexteram oblatæ depoſito, dicit:* Veni ſanctificator omnipotens æterne Deus, benedic hoc ſacrificium tuo nomini præparatũ, Per Chriſtum. *Et inclinatus ante altare dicit:* Suſcipe ſancta Trinitas hãc oblationem, quam tibi offerimus in memoriam paſſionis, reſurrectionis, aſcenſionis Domini noſtri Ieſu Chriſti, & in honorem ſanctę Dei genitricis Mariæ, Sancti Petri, & ſancti Pauli, & iſtorum atque omnium ſanctorum tuorum, vt illis proficiat ad honorem; nobis autem ad ſalutem, & illi pro nobis dignẽtur intercedere quorum memoriam agimus in terris. Deinde Orate ſequitur ſecreta. Offertorium.

Canon iuxta Romanam auctoritatem eſt iſte: Te igitur clemẽtiſſime Pater per Ieſum

Canon, Miſſæ.

Chriſtum filium tuum dominum noſtrũ ſupplices rogamus & petimus, vti accepta habeas & benedicas. *hic ſignat ſacerdos oblationem & calicem tribus vicibus ſub vna cruce.* hæc dona, hæc munera, hæc ſancta ſacrificia illibata. Imprimis quæ tibi offerimus pro eccleſia tua ſancta catholica, quá pacificare, cuſtodire, adiuuare, & regere digneris toto orbe terrarũ, vnà cum famulo tuo Papa noſtro N. & antiſtite noſtro.

Commemoratio viuorum.

Memento domine famulorum, famularumq́ue tuarum. *hic nomina viuorum memorentur, ſi volueris, ſed non dominica.* & omniũ circunſtantium quorum tibi fides cognita eſt, & nota deuotio, qui tibi offerunt hoc ſacrificium laudis pro ſe quiſque omnibus, pro redemptione animarum ſuarum, pro ſpe ſalutis atque incolumitatis ſuæ tibi reddunt vota ſua æterno Deo vero & viuo. Communicantes & memoriam venerantes imprimis glorioſæ ſemper virginis genitricis Dei & Domini noſtri Ieſu Chriſti, ſed & beatorum Apoſtolorum ac martyrum tuorum, Petri, Pauli, Andreę, Iacobi, Ioannis, Thomæ, Iacobi, Philippi, Bartholomæi, Matthæi, Si-

monis

monis & Thathæi, Lini, Cleti, Clementis, Sixti, Cornelij, Cypriani, Laurentij, Chryſogoni, Ioannis & Pauli, Coſmæ & Damiani & omnium ſanctorum tuorum quorum meritis precibuſque cõcedas, vt in omnibus protectionis tuæ muniamur auxilio. Per Chriſtum Dominum noſtrũ. *hic inclinatur vſque ad altare dicens*: Hanc igitur oblationẽ ſeruitutis noſtrę, ſed & cunctę familię tuę, quęſumus domine, vt placatus accipias, dieſque noſtros in tua pace diſponas, atque ab ęterna damnatione nos eripias, & in electorum tuorum iubeas grege numerari. Per Chriſtum Dominum noſtrum. *Erectus autem cum tribus crucibus benedicit*: Quam oblationem tu Deus in omnibus quæſumus benedictam, aſſcriptam, ratam, rationabilem, acceptabilemque facere digneris. *hic ſeparatim ſignat oblatam & calicem.* Vt nobis corpus & ſanguis fiat dilectiſſimi Filij tui Domini noſtri Ieſu Chriſti. Qui pridie quàm pateretur, accepit panem in ſanctas ac venerabiles manus ſuas, eleuatis oculis in cælum ad te Deum patrem ſuum omnipotentem tibi gratias agens, benedixit, fregit, dedit diſcipulis ſuis dicens:

Inclinatio ad altare vſque.

Conſecratio.

accipite & mãducate ex hoc omnes, hoc est enim corpus meum. Simili modo postquam cœnatum est, accipiens & hunc præclarũ calicem in sanctas ac venerabiles manus suas, Item tibi gratias agens benedixit, dedit discipulis suis dicens, accipite & bibite ex hoc omnes, hic est enim calix sanguinis mei noui & æterni Testamẽti mysterium fidei, qui pro vobis & pro multis effundetur, in remissionem peccatorum.

Commemoratio passionis dominicæ.

Hæc quotiescunque feceritis in mei memoriam facietis. Vnde & memores nos Domine serui tui, sed & plebs tua sancta Christi filij tui domini Dei nostri tam beatę Passionis, nec non & ab inferis resurrectionis, sed & in cælum gloriosæ ascensionis, offerimus præclaræ Maiestati tuæ de tuis donis ac datis. *hic tres cruces super vtrumque simul facit & quartã super oblationem, & quintam super calicem.* Hostiá puram, hostiam sanctam, hostiam immaculatam, panem sanctum vitæ æternę & calicem salutis perpetuæ. Super quæ propicio ac sereno vultu respicere digneris & accepta habere, veluti accepta habere dignatus es numera pueri tui iusti Abel, & sacrificium Patriarchæ nostri Abrahæ &

quod

quod tibi obtulit summus sacerdos tuus Melchisedech, sanctum sacrificium, immaculatam hostiam. *hic inclinat se iuxta altare dicens*: Supplices te rogamus omnipotens Deus, iube hæc perferri per manus sancti angeli tui in sublime altare tuum, in conspectum diuinæ maiestatis tuæ. *hic erigit se dicens*: vt quotquot ex hac altaris participatione sacrosanctum Filij tui corpus & sanguinẽ sumpserimus, omni benedictione cælesti & gratia repleamur. Per dominum nostrum. *hic duæ orationes dicuntur*. Memento etiã Domine & eorum nomina qui nos præcesserũt cum signo fidei & dormiunt in somno pacis. *& recitantur nomina*: Ipsis domine, & omnibus in Christo quiescẽtibus locum refrigerij lucis & pacis vt indulgeas, deprecamur, Per Christum Dominum nostrũ. Nobis quoque peccatoribus famulis tuis de multitudine miserationũ tuarũ sperãtibus partẽ aliquam & societatẽ donare digneris, cũ tuis sanctis Apostolis & martyribus cum Ioanne, Stephano, Matthia, Barnaba, Ignatio, Alexãdro, Marcellino, Petro, Felicitate, Perpetua, Agatha, Lucia, Agnete, Cecilia, Anastasia, & cũ om-

Commemoratio defunctorũ.

nibus

nibus ſanctis tuis, inter quorum nos conſorcium, nõ æſtimator meriti, ſed veniæ, quæſumus largitor admitte. Per Chriſtũ Dominum noſtrum. Per quem hęc omnia Domine bona creas. *Hic tres cruces ſuper vtrunque ſimul facit.* Sanctificas, viuificas, benedicis, & præſtas nobis. *Hic cũ oblata quatuor cruces facit ſuper calicem & quintam in latere ipſius.* Per ipſum, & cum ipſo, & in ipſo eſt tibi Deo patri omnipotenti in vnitate Spiritusſancti omnis honor & gloria. *Hic eleuat oblatam cum calice dicens:* Per omnia ſæcula ſæculorum. Reſpond. Amen. *& deponit oblatam dicens:* Oremus. Præceptis ſalutaribus moniti & diuina inſtitutione formati audemus dicere. Pater noſter, qui es in cælis, *vſque*, libera nos à malo. Libera nos Domine ab omnibus malis præteritis & præſentibus & futuris. Et intercedẽtibus beata & glorioſa ſemper virgine Maria, & beatis Apoſtolis tuis Petro & Paulo atque Andrea. *Hic nominat quotquot ſanctos voluerit*, cum omnibus ſanctis da propicius pacẽ in diebus noſtris, vt ope miſericordiæ tuæ adiuti, & à peccato ſimus ſemper liberi. *Hic patinam accipiat & oſculatam deponat*, & ab om-

Oratio Dominica.

Embolis Orationis Dominicæ.

omni perturbatione ſecuri. *Hic corpus ſub patinam in tria diuidat dicens.* Per dominum noſtrum Ieſum Chriſtum *vſque* per omnia ſæcula ſæculorum. Reſp. Amen. *Hic etiam partem in calicem mittit dicens*: Pax Domini ſit ſemper vobiſcum. Reſp. & cum ſpiritu tuo, *et ſubiungit orationem iſtam*: Fiat commixtio & conſecratio corporis & ſanguinis Domini noſtri Ieſu Chriſti accipientibus nobis in vitam æternã. Amen. *& oſcultato altari dat pacem aſtanti ita dicens.* Pax tecum. Reſpon. Et cum ſpiritu tuo. *Inclinatus autem dicit ante quàm communicet:* Domine Ieſu Chriſte qui voluntate patris, cooperãte Spirituſancto per mortem propriam mundum viuificaſti, libera me per hoc ſacroſanctum corpus & ſanguinem tuũ ab omnibus iniquitatibus meis & malis meis, & fac me tuis inhærere mandatis, & à te nũquam in perpetuum ſeparari. Qui cum patr. *Cùm diſtribuit Euchariſtiam dicit*: Corpus & ſanguis Domini noſtri Ieſu Chriſti proficiat tibi in vitam æternam. Amen. *Poſtquam omnes communicauerunt, dicit.* Quod ore ſumpſimus, mente capiamus, & de munere temporali fiat nobis remedium ſempiternũ. *Finita Miſſa di-*

Confractio corporis Dominici.

Pacis datio.

Orationes ante communionẽ.

Orationes poſt communionẽ ac ad Miſſæ finem.

ſa dicit. Placeat tibi ſancta Trinitas obſequium ſeruitutis meæ,& præſta vt hoc ſacrificium quod oculis tuæ maieſtatis ego indignè obtuli,mihi & omnibus,pro quibus illud obtuli, te miſerante ſit propiciabile. Per Chriſtum. *Exuens ſe veſtibus ſacris dicit* Pſalm. Benedicite omnia , Laudate dominum in ſanctis , κύριε ἐλέησον , Pater noſter. Confiteantur tibi domine omnia opera tua , Exultabunt ſancti in gloria. Exultent iuſti in conſpectu , Non nobis domine,non nobis. Domine exaudi orationem. Deus qui tribus pueris. Actiones noſtras.

De ieiunio vernali,
CAP. XXIIII.

Gregorij papæ primi Sacramẽtarium ac Antiphonarium extabant ętate huius auctoris.

GREGORIVS Papa ſeptimus cùm Apoſtolicæ ſedi præſideret, conſtituit vt ieiunium quod dicitur Martij in prima hebdomada quadrageſimæ omni anno celebretur, ſicut & ſancti patres illud inſtituiſſe legũtur. Nam ſanctus Gregorius Papa primus tam in Sacramẽtario quàm in graduali libro, ſiue Antiphonario officia eiuſdem ieiunij primę quadrageſimali hebdomadæ aſſcripſit. Itẽ ſanctus Hierony-

ronymus in libro Comitis lectiones & euangelia de eodem ieiunio eidem hebdomadæ iniunxit. Ipsa etiam vacans Dominica quam sanctus Gregorius in quadragesima secundam esse voluit, euidentissimè insinuat quod ieiunium Martij nihilominus omni anno ipsam in prima hebdomada præcedere debeat . Non enim eadem Dominica propriè vacans diceretur, si nō sabbathum 12. lectionum euestigio subsequeretur quod propriū est omniū Dominicarū vacātium, quæ cùm proprio careant officio ex præcedēti hebdomada inofficiantur, si tamen necesse fuerit vt assumantur. Vnde & hęc Dominica, de qua agimus, ex quarta feria prȩcedentis ieiunij officiū mutuauit. Necessarium est ergo, vt illud illá præcedat, cùm non aliunde nisi ex eius præcessione eadē Dominica nomen & officium obtineat. Sed & Iunior Gregorius Papa scribens de ordinatione sancti Bonifacij Archiepiscopi ad Magonciacenses, præcepit, vt ordinatio quæ ieiunio Martij asscribitur, in ingressu quadragesimȩ cum eodem ieiunio semper celebretur. Beatissimus quoque Leo Papa primus in sermone De ieiunio

D.Hieronymi quoq́ue Comitis liber. quem infra c. 25. Lectionarium vocat facit eiusdē mētionem Honorius lib. 1. c. 11. egoquoq́ue manu scriptum vidi.

Ieiuniū vernale obseruādum in quadragesima.

Greg. 2.

iunio septimi mensis, verum ieiunium in Quadragesima, æstiuum in Pentecoste, Antumnale in septimo mẽse celebrãdum esse denunciauit. Item beatus Gelasius papa in decretalibus suis capitulo quadragesimo primo, constituit, vt ordinationes presbyterorum & diaconorum, non nisi certis temporibus fiant, quippe in ieiunio quarti & septimi & decimi mẽsis, id est, Iunij, Septembris, atque Decẽbris, necnon in quadragesimalis initij ieiunio, quod proculdubio Martij intelligitur. Videsne ergo, quàm apertè idem ieiuniũ cum ordinatione sua primæ quadragesimali hebdomadæ ascribatur, & quàm signãter quadragesimalis initij ieiunium cognominetur? Hoc autem initium Quadragesimæ non à capite ieiunij, sed à subsequenti Dominica est computandum. Nam quamuis à capite ieiunij pro quodam complemento quadragesimalis abstinentiæ incipiamus, à subsequenti tamen Dominica iuxta assertionem Sancti Ambrosij & sancti Gregorij & aliorũ sanctorum patrum Quadragesimam propriè exordimur. Nullum autem commoueat quòd tempore Henri-

ci se-

ci ſecundi Imperatoris , duodecim Epiſcopi Mogunciꝫ congregati,aliter de hoc ieiunio ſtatuiſſe leguntur . Cùm enim apud Epiſcopos non modica varietas de huiuſmodi ieiunijs accideret , eo quòd antiquorum ſanctorum patrum traditionem in hac re minùs attenderẽt,pro huiuſmodi confuſione corrigenda hanc ſibi regulam propoſuerũt: vt deinceps in prima quarta feria Martij,& in ſecunda Iunij, & in tertia Septembris omni anno ie iunarent. Sed hæc regula Apoſtolicæ auctoritati præiudicare , nec debet nec poteſt;præſertim cùm euidentiſſimè ſtatutis patrum videatur repugnare . Si enim prædictam regulam annuatim obſeruamus, multotiens non ſolùm in quadrage ſima , ſed etiam ante quadrageſimam ieiunabimus. Cùm & ſtatuta Apoſtolicorũ virorum,& inſtitutio officiorum, vt prælibatum eſt , illud infra quadrageſimam, imò in prima quadrageſimæ ſeptimana ſemper celebrare decernant. Indubitanter ergo refutare debemus quotquot tam euidẽter Apoſtolicꝫ auctoritati contraire videmus,vnde totius Chriſtianæ religionis & ordinis exordium & formam accepimus,

Apoſtolicæ auctoritati Concilium prouinciale non poteſt præiudicare.

pimus. Nec mireris hoc ieiunium potius Martio quàm Februario aſſcribi, quamuis in Februario, cùm ipſa quadrageſima nonnũquam occurrat. Semper enim idẽ ieiunium, aut Kalendaria aliquando, aut Lunationem Martij, aut vtrunque ſimul incurrit; Februarij autem Kalendaria aliquando, Lunationem verò nunquam attingit. Ergo multo congruentiùs Martio aſſcribitur quem nũquã relinquit, quàm Februario, quem multociens non attingit. Obſeruatur ſanè hoc ieiunium, cùm quadrageſima ipſa ſecundum Lunationem, ſicut & Paſcha. Vnde nõ incongruè ipſum Martio propter Lunationẽ aſſcribitur, quamuis in Februario occurrat. Sicut & Paſcha Aprili ſemper aſſcribitur, quamuis ſæpè in Martio contingat. Nec vtique probabili exẽplo carebit, ſi ſacrorũ ordinum diſpenſatio nonnunquam fiat in Februario, dum hoc exegerit quadrageſimalis initij præmaturatio (Nam reuerendiſſimi patres noſtri ſanctitate & Apoſtolica auctoritate præcipui, videlicet, Simplicius, Gelaſius, Symmachus, Felix, in Februario ordinationes feciſſe leguntur) cùm iam ſancta Romana eccle-

Cur ieiunium hoc Martio inſcribatur.

ſia

ſia ieiunia quatuor temporum in ordinatione obſeruare decreuerit, hocque alijs quoque eccleſijs ita obſeruandum promulgauerit. Ergo abſque omni dubio obſeruare debemus, vnde tam certa præcepta & exempla ſanctorum patrũ Apoſtolica auctoritate prædicatorũ ſufficienter habemus; præſertim cùm & faciliùs obſeruetur, quod prouida antiquitas & auctoritas inſtituit, quàm quod inconſiderata nouitas & infirmitas adinuenit. Nulli enim dubium eſt, quin facilius ſit omni anno idem ieiunium Martij in eadẽ hebdomada cũ eiſdẽ officijs inconfuſè celebrare, quàm de hebdomada in hebdomadam non ſine confuſione officiorũ, vt multi ſolent, illud annuatim mutare.

De Ieiunio Aeſtiuali,
CAP. XXV.

GREGORIVS papa ſeptimus Apoſtolicæ ſedi præſidens conſtituit, vt Æſtiuale ieiunium infra octauam Pẽtecoſtes annuatim celebretur. Quod quidem ſapientioribus reuerentia ſedis Apoſtolicæ facilè perſuaſit; ſimplicioribus autẽ nonnulla dubitatio ſuper huius ſtatuti pro-

Ieiunium æſtiuale celebrandũ infra Octauas Pentecoſtes.

Mogontinum prouinciale cõcilium tempore Henrici ſecũdi. Can. 3.

mulgatione remanſit. Nam non parum à conſuetudine eorum diſcrepat, quam à quibuſdam ſcriptis nõ adeo authenticis mutuauerunt, id eſt, à Mogontiacenſi cõcilio tempore Henrici ſecundi Imperatoris facto. hoc enim hanc regulam ieiunijs quatuor temporum præfixit, vt in prima quarta feria Martij, in ſecunda Iunij, in tertia Septembris omni anno ieiunetur. Præterea & hoc attendunt quod in quibuſdam ſacramentarijs inueniunt, quòd & in primo ſabbatho Martij, in ſecundo Iunij, in tertio Septembris, ieiunare debeamus. Illo etiam nõ minùs obſeruato, vt de vno ſabbatho 12. lectionum vſque in aliud, iuxta Amalarium quatuordecim hebdomadæ computentur. Si igitur, inquiunt, iuxta ſtatutum domini Apoſtolici infra pentecoſten annuatim ieiunaueris, non ſemper ſecũdum quartã feriam, vel ſecundum ſabbathum Iunij obſeruare poteris. Sed cur more Phariſæorum liquamus culicẽ glutientes camelũ? Cur, inquam, huiuſmodi ſcripta præuaricari plus vereamur, quàm ſedis Apoſtolicæ decretum, præſertim cùm ob eorum adinuicẽ repugnãtiam ſe obſeruare nõ permit-

mittant. Si enim iuxta Mogontiacense Conciliũ in prima quarta feria Martij, in secũda Iunij, in tertia Septembris omni anno ieiunatur, primum sabbatum Martij, secundum Iunij, tertium Septembris annuatim obseruare nequibis, nec iuxta Amalarium quatuordecim hebdomadas eisdem ieiunijs internumerare valebis, quod illum non latebit quicunque diligenter interiacentes hebdomadas singulis annis dinumerabit. Nũquam sanè huiusmodi regulæ simul obseruari poterũt, nisi eo anno, cùm Kalẽdæ Septembris in tertia vel in quarta feria occurrũt. Sed in hac causa Amalarius notandus est, qui nõ tam aliquam consuetudinem instituere, quàm de instituta cõpetentem aliquam figuram elicere cõsueuit. Cur autem ista replicamus; cùm etiam si prædictæ regulæ sibi annuatim cõuenirent, auctoritati tamen sedis Apostolicæ nullatenus præiudicare possent, cui omnes per omnia absque omni hæsitatione debemus obedire, cui nunquam debitam exhibemus obedientiam, si eius statuta potius iudicare quàm implere curamus. Hoc est priuilegiũ obedientiæ, de sententia sui præ-

Auctoritas sedis Apostolicæ.

ceptoris nō iudicare, in ijs dūtaxat rebus quas Canonicis ſcripturis cōtraire non videmus, imò ſtatim exequi, quod iubent. Nam quicūque facere noluerit, niſi quod prius ſua ratione probauerit eſſe faciendum, non tam præceptori ſuo, quàm propriæ voluntatis arbitrio ſatisfeciſſe iudicabitur. Hanc ergo puram obedientiam, cùm omnibus ſpiritualibus noſtris præceptoribus certiſſimè debeamus, maximè tamen Apoſtolicæ ſedi ex intimo corde debemus: quæ totius Chriſtianæ religionis caput eſt & origo. Sed quia hæc ratio ſimplicioribus fortaſſe nō ſufficit, operæprecium videtur de ſuperiori ſtatuto latius tractare, & quàm rationale, quàm canonicum, quippe ſanctis patribus quàm conſonum reperiatur, elucidare. Beatiſſimus Leo papa primus in ordine quadrageſimus ſeptimus, cuius auctoritate congregatum & confirmatū eſt ſecūdū Calchedonenſe Concilium in libro ſermonum, quarti menſis Ieiunium, non niſi hebdomada Pentecoſtes celebrandū eſſe denunciauit. Nec hoc tantum in vno ſermone, ſed in pluribus, quos de Pētecoſte in diuerſis annis feciſſe legitur; quod illū

Quarti menſis ieiunium celebrandū in hebdomada Pentecoſtes.

ſubter-

ſubterfugere nõ poterit, quicunque eundẽ librũ diligẽter perlegerit. Ibi enim euidentiſſimè docebitur ex Apoſtolica traditione huius ieiunij obſeruantiam deſcẽdere; nec diuerſam, ſed continuã poſt diem Pentecoſtes celebrari debere. Sed ne aliquis eum hoc de quadrageſimali ieiunio, quod poſt Pentecoſten agitur; non de ieiunio quarti menſis pręcepiſſe putaret, ſubſequenter decernendo admonet, vt infra eandem hebdomadam quarta & quinta feria ieiunetur, & in ſabbatho apud ſanctum Petrum vigiliæ celebrentur. quem denunciationis modum penè in omnibus ſuis ſermonibus obtinuit, cũ ieiunia quatuor temporum denunciaret. Nam illa quadrageſima poſt Pẽtecoſten non omnibus vt ieiunium, ſed ſolis pœnitentibus obſeruanda imponitur. Nec in hoc tãtùm triduo infra Pentecoſten, ſed in omnibus triduis, vel etiam diebus ſex hebdomadarum cuſtodiri iubetur. Præterea idem vir Apoſtolicus in ſermone De ieiunio ſeptimi mẽſis: Ieiunium, inquit, vernum in quadrageſima, Æſtiuum in Pẽtecoſte, Autumnale in ſeptimo mẽſe celebremus. Vbi euidentiſſimè indica-

Quadrageſima poſt Pẽtecoſten.

uit, ieiunium quarti mensis non nisi in hebdomada Pentecostes esse celebrandum. Si enim istud in Iunio mense sicut Autumnale in Septembri, semper ieiunandum decerneretur, non minùs Iunium quàm Septembrem nominare posset. Ergo iuxta sententiam huius Apostolici, sicut Autumnale semper in Septembri; ita æstiuum in Pentecoste semper debemus celebrare. Sanctus quoque Gregorius Papa primus, à quo omnia ecclesiastica officia penè habemus, beato Leoni optimè concordat, qui & in sacramentario & in diurnali Antiphonario, eidẽ ieiunio nullas orationes vel cãtus asscribit, nisi infra Pentecosten dicẽdos. Liber etiam Comitis siue Lectionarius, quem sanctus Hieronymus compaginauit, eidem ieiunio lectiones ad festiuitatẽ Spiritussancti pertinentes attribuit. Sicut autem ieiunium Decembris de aduentu Domini, & ieiunium Martij de quadragesima, sua mutuauerunt officia: sic etiam illorum mensium ieiunia nunquam alio tempore celebrantur, nisi eo ipso, vnde & officium habere vidẽtur. Denique ieiunium Martij, & ante statutũ nostri Papæ Gregorij

Liber Comitis siue Lectionarius D. Hieron.

cùm

cùm aliquando ante quinquageſimã iuxta Mogontiacenſe Concilium eueniret, propter quadrageſimæ tamen officium vſque in quadrageſimã differebatur. Incongruum enim eſſet, vt eiuſdem ieiunij lectiones ſpecialiter quadrageſimam intimãtes & orationes ſuper populum, extra quadrageſimam dicerentur. Eadem ratione & æſtiuum ieiunium infra Pentecoſten obſeruamus competẽter, propter officia de eadem ſolennitate mutuata. Qui enim illud extra Pentecoſten obſeruant, magnam officiorum confuſionem faciunt, cùm quadrageſimales cantus & orationes lectionibus de Pentecoſte aſſocient. Cõcordiã quippe officiorũ penitus diſſipant, quam ſancti patres maximè in huiuſmodi officijs obtinere ſtudebant, & cũ extra Pentecoſten de hoc ieiunio nullum iuueniant officium, ipſi ſibi officia cõponere, imo Iunio potius quam Maio aſſcriptum malunt reperire, quamuis iuxta ſuperiorem tractatum in Maio ſæpius celebretur. Ipſa enim Pentecoſte cum qua hoc ieiunium ſemper obſeruatur, in Maio ſæpius quàm in Iunio celebratur, quæ tamen mixta computatione

Locus obſcurus.

Lunę Iunio ſemper aſſcribitur. Nam hoc feſtũ ſicut & Paſcha, non iuxta rationem menſium, ſed Lunationũ annuatim obſeruatur. Et illud quidem Aprili, hoc autem Iunio, propter obſeruationẽ Lunationum eorundem menſium ſemper aſſcribuntur; quamuis eoſdem mẽſes multotiens anticipent, ſicut & ipſæ Lunationes. Eadem igitur ratione & hoc ieiuniũ Iunio aſſcribimus, quod & cum Pentecoſte ſub eadẽ Lunatione annuatim obſeruare debemus. Hoc ſane ieiuniũ ſemper Lunationem Iunij, ſæpè etiam & Kalendaria eius obſeruat, nunquam autem Lunationem Maij, nec ſemper Kalendaria eius attingit. Semper vtique aut Kalendaria, aut Lunationẽ Iunij poſſidet. Maij autem ſæpenumero nec Kalendaria, nec Lunationem obtinet. Quare & Iunio competentiùs articulatur, quem nunquam dimittit, quàm Maio quem multotiens omnino prætermittit. Iſtas igitur rationes quicunque depoſito contentionis ſtudio fideliter conſiderare voluerit, proculdubio Dominum Apoſtoli cum de ieiunio verno ſiue æſtiuo, nõ tam ſuum quàm ſanctorum patrum ſtatutũ

inſtituiſſe iudicabit,& idē ipſum authenticis rationibus confirmatum generaliter obſeruandum eſſe non dubitabit.

De Autumnali ieiunio, CAP. XXVI.

IEIVNIVM Autumnale iuxta ſtatuta ſanctorum patrum Leonis, Gelaſij & reliquorum in 7. menſe debemus celebrare, quod tamen nec inſtitutio officiorum, nec ſuppoſitio vacantis Dominicæ, nec ſtatuta ſanctorum patrum, alicui ſeptimanæ tam ſpecialiter, vt reliqua Ieiunia videntur aſſignaſſe. Eſt autem eccleſiaſtica conſuetudo vt in tertio ſabbatho Septembris ieiunetur, quæ vtique cõſuetudo & nobis debet ſufficere, præſertim cùm Apoſtolicis inſtitutis nuſquam videatur contraire.

In tertio Sabbatho Septẽbris. 4. temporũ ieiunium Autumnale.

De Hyemali ieiunio, CAP. XXVII.

IEIVNIVM Hyemale iuxta traditionem ſanctæ Romanæ eccleſiæ, ſemper in tertia hedomada de Aduẽtu Domini debet celebrari: ſicut & ſancti patres inſtituerũt, qui eiuſdem ieiunij officia eidem hebdomadæ indiderunt, & ſequentem Dominicam vacantem vocauerunt. nec ad

In tertia hebdomada Aduẽtus ieiunium Hyemale.

ad hoc vllo ſpeciali ſtatuto indigemus, in quo ſanctorum patrum veſtigia non excedimus.

De officijs eorundem ieiuniorum,

CAP. XXVIII.

De annua tranſmutatione officiorũ in vernali, vnde hactenus multum fruſtra laborauimus: nõ neceſſe eſt, vt deinceps laboremus, cùm iuxta antiquam inſtitutionem, omnia huius ieiunij officia ſuo loco & ordine, ſicut inſtituta ſunt, obſeruare debeamus. In Æſtiuo autẽ ieiunio illum ordinem officiorum cõpetenter annuatim obſeruamus; quem & maiores noſtri in eodem ieiunio tenuerunt, cùm illud infra Pentecoſten aliquando obſeruarent. Videlicet vt in quarta & ſexta feria cantetur & legatur, quod in eadem hebdomada eiſdem ferijs aſſcriptum reperitur. In ſabbatho autem cum officio quod ibi habetur, hæ lectiones legantur. Lectio: Diligite Iuſtitiam, Audi Iacob, Exultate, Effundam, Ad miſſam, Iuſtificati, quæ vtique omnes feſtiuitati Spiritusſancti optimè conueniunt. Euangeliũ, Egreſſus Ieſus. Sicut etiam & in antiquis breuiarijs ordinatũ reperimus. Et hoc ob-

Vide Guil. Duranũ in Ration. diuin.

ſeruan-

ſeruandum eſt vtique, nè in quarta feriâ vel ſabbatho quadrageſimalia offertoria, id eſt, Meditabar, Domine Deus ſalutis, dicamus, ſed in honorem Spirituſſancti Alleluya: cùm offertorium, Emitte ſpiritum, pro vtroque cantemus. Nec Graduale ſed, Alleluya prædictis lectionibus ſubiungere debemus: Spiritus Domini, Paracletus. Emitte, Veni ſancte Spiritus. In Autumnali autem ieiunio omnia, vt inſtituta ſunt, obſeruamus. In quarta feria Exultate, Graduale Quis ſicut. Graduale, Tribulationes. Offertoriũ Meditabar, Communio Comedite. Cum lectione, Ecce dies veniunt, Congregatus eſt. Euangelium, Reſpondens vnus. In ſexta feria Antiphona, Lætetur cor. Graduale, Cõuertere. Offertorium, Benedic. Communio, Auferte. Lectio, Cõuertere. Euágelium Rogabat Ieſum. Quæ omnia ad inuicem magnam habent concordiam. In ſabbatho autem Venite adoremus offertorium, Domine Deus ſalutis Cõmunio. Mẽſe ſeptimo Lection. Decimo die. Quintodecimo Domine Deus pater, factum eſt. Euangelium, Arborem fici. Gradùalia verò eadem quæ & in ieiunio ver-

nali, quę etsi apud diuersos diuersè assumuntur, in quam plurimis tamẽ libris ita reperiuntur. Protector, Propicius, Dirigatur, Saluũ fac populũ : Quæ & in Autũnali ieiunio, vt in Vernali ordinantur, nisi quod in Autumnali Graduale Protector, post Graduale Propitius canitur. Et hoc vtique concordia officiorum exigere videtur. Nã in Vernali prima lectio, Respice Domine de sanctuario & benedic populo tuo, optimè congruit Graduali, Protector noster. Secũdæ autem lectioni Graduale, Propicius, non incongruè adaptatur. Nam quod in lectione de corporali liberatione populo Israël promittitur, hoc sancta Ecclesia in graduali spiritualiter nobis adimpleri supplicat, nè gentes dæmonum nobis præualeant, sicut nec gentes paganorum illis pręualuerunt. In Autumnali autem Graduale Propicius, præponitur, & hoc magis primę lectioni conuenit, quæ nobis diem propiciationis; & vt Deus nobis propicietur, pręscribit. Secundæ verò lectioni Graduale Protector magis competit, qui filios Israël septem diebus sub protectione vmbraculorum annuatim solennizare præcepit. Tertium

tium autem Graduale Dirigatur, tertiæ lectioni in vtroque ieiunio optimè congruit, quia & in Vernali Ionathas, & in Septembri Michæas orationes ſuas ad Dominum pro populo dirigunt. Similiter quartum Graduale quartæ lectioni competit vtrique. Nam in Vernali pro ſalute populi poſtulatur, quę in Autũnali promittitur populo, ſi tamen à veritate non diſceſſerit. Satis ergo congruum videtur, vt & nos eorum librorum traditionem ſequamur, qui eadẽ Gradualia Vernali & Autumnali ieiunio aſſcribũt. Nam cũ lectionibus vtriuſque ieiunij magnam habent cõcordiam, vt prębauimus, quam potiſſimũ in diſpoſitiõe officiorum nos attendere ſancti patres docuerunt. In hyemali ieiunio; quod in primo ſabbatho ante vigiliam Natiuitatis Dominicę ſemper eſt obſeruandum, nihil in officijs variatur. Et notandum omnes Apoſtolicos à beato Petro vſque ad Simpliciũ Papam ordinationes tantum in ieiunio Decembris celebraſſe, vt in Romano Pontificali legitur. Vnde & iſtud ieiunium non immeritò plenius quàm reliqua, ſuum habet officium. Nam reliqua, aliunde nunc

Ad Simplicium Papam vſque menſe dũtaxat Decembri Ordinationes celebratæ.

ex toto,

ex toto, nunc ex parte magna inofficiantur. In omni ieiunio quatuor temporum, nisi infra Pentecosten genua flectimus. In quarta quidem feria ad priorem tantum orationē sine salutatione prolatam. Nam secunda sine genu flexione cum salutatione profertur. Oratio autem in sexta feria cum salutatione profertur & genu flexione recitatur. In sabbatho autem oratio cum genu flexione sine salutatione procedit. Præter illam de camino quæ salutationem sine genu flexione exigit. Ad illam nempe genua flectere prætermittimus more trium puerorum, qui statuam adorare noluerūt cum gentilibus. Ordo etiam præcipit, vt infra hymnum eorundem puerorum non sedeamus, ne illis in camino laborantibus nos inertię sessionis dediti esse videamur. Hoc tamen sabbathum, quamuis sex lectiones tantum habeat, dicitur tamen 12. lectionum, eò quod antiquitus eędem lectiones bis legebantur, Gręcè videlicet & Latinè. Sciendum autem secundum Calixtum Papam & martyrem huiusmodi ieiunia quater in anno celebrari constituisse, quæ prius ter tantum in anno celebra-

Cur ad Lectionem Danielis de trib. pueris genua non flectamus.

lebrata ſunt. Sicut idem Apoſtolicus ad Benedictum ſcribens teſtatur.

Epiſtola Decretali prima.

De vacantibus Dominicis,

CAP. XXIX.

QVATVOR Dominicę, quę huiuſmodi ieiunia ſubſequũtur, in libro ſacramentorum vacantes prætitulantur, eo quòd proprijs carent officijs. Vnde & ex præcedentibus quartis ferijs ieiuniorum Romano more inofficiantur, vt illæ duæ quæ vernale ieiuniũ ſubſequũtur, & hyemale. Iam autẽ poſt æſtiuale ieiuniũ, non cum quarta feria, ſed multò conuenientiùs cum officio Pẽtecoſtes ſuppletur, eo quòd ſit octaua eius. Poſt ieiunium etiam autumnale, quidam ex quarta feria, Dominicam ſequentem inofficiant, vt paucitati Dominicalium officiorum in æſtate hoc ſupplemento ſubueniant. Sed Romani huiuſmodi penuriam repetitione Dominicalium officiorum ſupplent. Vnde & prędictam completionem ex quarta feria, quaſi non neceſſariam, ibi pręter mittere ſolent. Illæ autem dominicæ antiquitus ab officio vacabant, quia celebra

Vacantium Dominicarum penuriam Romanus ordo aliarũ repetitione cõpenſat.

tio ordinationum iuxta decreta ſanctorũ patrũ, tam ſerò fiebat in ſabbatho vt potius Dominicæ quàm ſabbatho aſſcriberetur. Nã beatiſſimus Leo Papa primus vſque in mane Dominicæ diei ordinationes rite celebrari poſſe teſtatus eſt; continuato tamen ſabbathi ieiunio in initio ipſas Leuiticas ordinationes & ſacerdotales nunquã, niſi in Dominica, iuſſit celebrari, Dioſcoro ſcribens Epiſcopo. Conſecrãdis, inquit, nunquam benedictio detur niſi in Dominica, quæ à ſabbathi veſpera initiatur. Item beatus Gelaſius papa ſucceſſor eius, omnibus Epiſcopis ſcribẽs, decreuit, vt in ſabbathis quatuor tẽporum ordinationes intra veſperum celebrarentur. Vnde & Romanus ordo in quadrageſima in ſabbatho ordinationum orationem ſuper populum interdicit, ad quam Antiqui nõ ſolùm caput, ſed & genua flectebant, quod Niceni canones in Dominica fieri penitus vetãt. Sanctus quoque Gregorius dies ordinationũ ſuis homilijs inſigniuit vt dominicas. Videlicet hæc duo Euangelia; Anno quinto decimo, Arborem fici, exponens ad populum. Item ſanctus Leo papa illud euan-

Ordinationes olim in Sabbatho veſpere fiebant.

Genu flexiones in Dominica prohibitę.

euangelium, Aſſumpſit, de ieiunio Vernali expoſuit, quaſi dominicę diei ſatiſfaciens, infra quem ipſe ſemper ordinationes fieri conſtituit.

De Aduentu Domini,

CAP. XXX.

AB Aduentu Domini vſque ad Natiuitatẽ eius, Te Deum laudamus. Gloria in excelſis Deo. Ite miſſa eſt, dimittimus, quia maior gloria noui Teſtamẽti, quàm veteris, cuius typum infra aduẽtum Domini obſeruamus. Aliquando etiam feſtiuius natale Domini ſuſcipimus, ſi huiuſmodi glorificationes aliquãdiu ſuppreſſas quaſi de nouo illa die incipimus. Quidam infra aduentum Domini caſulis pro dalmaticis vtuntur. Quidam ſolito more veſtiũtur, eo quòd Miſſam ad tertiam & Alleluya, ſicut & tota æſtate dicunt. In natiuitate tamen Apoſtolorum ſiue dedicatione Eccleſię, prædictas glorificationes non omittimus. Hinc vſque octauam Pentecoſtes, ſolitam mentionem ſanctæ Crucis ad veſperã ſiue ad matutinas, in feria ſexta, & de ſancta Trinitate Dominicis diebus retinere ſolemus. Nã quod

f. Aliquanto

Infra aduẽtum iuxta veterẽ ritum caſulis nõ dalmaticis vtimur.

Veſperã vocat Officiũ veſpertinũ quod nũc veſperas dicimus. Sic etiam frequenter cum ſequentib.

quidam illo breuiſſimo ſpacio, quod Purificationem ſanctę Mariæ & Quadrageſimam aliquando diſiungit, mentionem ſanctæ crucis reſtituunt, non adeo congruum videtur, cùm illo tempore de infantia Chriſti potius, quàm paſſione cantetur atque legatur.

De Euangelio, Cùm appropinquaret.

CAP. XXXI.

Legendum iuxta veterem ritũ Romanũ Euã. Cum appropinquaret, Dominica prima aduentus.

IN Dominica prima de aduentu Domini, quidam legunt Euangelium, Erunt ſigna, eò quod ſanctus Gregorius in libro homiliarum illud in primis poſuerit. Sed parum attendunt quia idem Apoſtolicus in eodem libro huiuſmodi ordinem non attendit: in quo plura Euangelia penitus nõ tetigit; inſuper & quæ expoſuit, multociens poſteriora prioribus anteponere conſueuit. Alij initium Marci Euangeliſtæ legunt, ſed quia inuſitatum eſt, pauci aſſentiuntur. Nos autem ex antiqua traditione, Cũ appropinquaret, legimus, non vtique ſedi Apoſtolicę, ſi aliter iuſſerit, prębiudicantes, ſed interim auctoritatẽ ſanctorum Patrum ſectantes. Nam & ſanctus Hieronymus in libro Comitis, ita ordinauit

Sic etiam Rupertus de diuinis officijs.

dinauit, cuius libri ordinem & ſanctus Gregorius diligentiſſimè obſeruauit, ſiue dum lectionibus & Euangelijs miſſales orationes in ſacramentario adaptaret, ſiue dum Antiphonas ex eiſdem euangelijs quàm plurimis diebus in Antiphonario articularet. Ipſum quoque Euangeliũ Cum appropinquaret, & ſi de itinere Domini ad paſſionem agere hiſtorialiter videatur; non tamen iſtius omnino obliuiſcitur. Cùm pueri Hebræorum in laudẽ eius illud pſalmiſtæ in altum proclamẽt: Benedictus qui venit in nomine Domini. Quod auctor Antiphonarij de hoc aduentu proculdubio intellexit, cùm inde reſponſorium in hiſtoriam Dominicę natiuitatis compoſuerit.

Librum Comitis D. Hier. diligenter imitatus D. Gregorius.

De hiſtoria, Clama.

CAP. XXXII.

QVIDAM hiſtoriã Clama à quarta feria hyemalis ieiunij omni anno incipiunt, etiamſi adhuc 12. dies vſque ad natiuitatem Domini remaneant. Æſtimant enim hanc hiſtoriam pro eodem ieiunio eſſe inſtitutam, ſed fallũtur. Si enim Romana auctoritas illam ad hoc inſtitueret, antę Dominicam vacantem, id eſt, Cani-

te tuba, hâc quoque ſicut diurnalia eiuſdem ieiunij officia collocaret. Nam hoc in omnibus huiuſmodi ieiunijs obſeruatur, vt officia eorum ſemper Dominicam præcedant vacantem, quæ etiam ſemper prius ipſa obſeruatur, iuxta ſtatuta ſanctorum patrum, aut prætermittitur. Nec vtique aliqua Dominica vacans, propriè dicitur, niſi quæ huiuſmodi ieiunij officia indiuiſè ſequitur, à quibus & ipſæ inofficiantur, ſi neceſſe fuerit, vt obſeruetur. Præterea ſi eadem hiſtoria pro ieiunio inſtituta eſſet, ſuperfluo ſecundam, tertiam, quintam feriam eodem modo, vt ſextam, inofficiatas haberet; cũ tamen nihil ad illas prædictum pertineret. Patet ergo hanc hiſtoriam non pro ieiunio, ſed potius ad hoc eſſe inſtitutam, vt proxima hebdomada ante natiuitatem Domini, ſicut & ante Paſcha, tanto plus in officijs habeatur, quanto vicinior Dominicæ ſolemnitati exiſtat. Nam & Antiphonarius hoc innuere videtur, qui hiſtoriam, Canite tuba, proximam Dominicam ante natiuitatem vocat; & hâc, id eſt, Clama, infra hebdomadam eiuſdem Dominicę canendam ſubſequenter innuit ſingulis ferijs

Quæ propriè veterib. dictæ Dominicæ vacantes.

rijs

rijs ſingulas matutinales laudes attribuens. Sunt autem ita deſcriptæ, vt eo anno ita obſeruentur, cùm Natiuitas Domini in Dominicā, & vigilia in ſabbathū occurrit, quod & Antiphona; Nolite timere, in quarta feria præcedenti deſcripta, & Antiphona Expectetur, de Cātico ſabbathi vigiliæ aſſcripta demonſtrant. Vnde & ipſum ſabbathum ſpeciali matutinali laude inſigniri non neceſſe habuit. Nam omni anno, aut eiuſdē vigiliæ officium obtinebit, aut alterius feriæ, quam eadem vigilia eo anno occupauerit. Illo non negligenter obſeruato, vt ſabbathū ſemper de vigilia ferialem pſalmum & canticum cū Antiphona obtineat, & vigilia illius ferię quam ſibi vēdicauit, ferialem pſalmum & canticum cum antiphona poſſideat.

De ſeptem diebus ante Natale Domini, CAP. XXXIII.

SCIENDVM itaque eſt, quòd prędicta officia non ſunt ieiunij ſed dominicæ, & quinque feriarum ac vigiliæ, vnde & annuatim eadem officia ab octaua die, quæ natiuitatem Domini pręcedit, congruè incipimus, vt totam illam ſeptima-

nam ſtatutis officijs celebrē habeamus; nec tamen aliquem diem præter ſanctorum inſtitutionē huic celebritati ex noſtra parte applicemus. Et hoc quoque nō ocioſè notandum, quia huius ſeptimanæ officia, etſi ſpecialiter pro ieiunio, vt probatum eſt, non ſint inſtituta; nūquam tamen illud omnino relinquunt, niſi eo anno, dum natiuitas Domini in Dominica occurrit. Tunc enim vigilia in ſabbatho euenit, & hoc ieiunium extra ſeptimanā in præcedenti ſabbatho celebrari compellit. Nam officium vigiliæ & ieiunij ſimul vna die competenter nequeunt obſeruari. In omnibus autem alijs annis, idē ieiuniū aut ex integro aut ex aliqua parte prædictę includitur, & per legitimas eius ferias celebratur. vnde & Antiph. de Euāgelijs huius ieiunij, quamuis cum ipſo multotiens anticipentur, meritò tamen in quarta & ſexta feria & ſabbatho eiuſdem ſeptimanæ deſcribuntur, quia eaſdem ferias idem ieiunium adeo frequentat, vt vix vno anno illas ex integro derelinquat. Hoc quoque prouidēdum, quòd vigilia cùm in Dominica euenerit, ſex ſibi reſponſoria de Dominicali hiſtoria cū domi-

Ieiunium hyemale quo tempore occurrat in annos ſingulos.

dominicalibus pſalmis aſſumat: tria verò vltima & matutinales laudes cum ferialibus pſalmis ſabbatho concedat. Ad Miſſam omnia de vigilia, ſed feſtiuè cũ Alleluya veni.

De Natali Domini,

CAP. XXXIIII.

IN natale Domini finito nono reſpõſorio, Euangelium Liber generationis legitur. Deinde Te Deum laudamus, cum pulſatione ſignorum dicitur; ſicque finitis nocturnalibus vigilijs Miſſa, Dominus dixit, ante matutinales laudes, cum: Benedicamus domino, non cum: Ite miſſa eſt, completur: ne populo quaſi licẽtiam abeundi infra matutinales laudes dediſſe videamur, quas ſtatim poſt Miſſam iterũ concrepantibus ſignis incipere ſolemus.

Cur in Miſſa prima non, Ite Miſſa eſt, ſed, benedicamus domino, decantetur.

De ſecunda veſpera ſancti Stephani.

CAP. XXXV.

OMNES authentici antiphonarij ſecundam veſperam ſancto Stephano concedunt ex integro. vnde & reliquis feſtiuitatibus per annum hoc exemplo ſecundam veſperam ex toto cõcedimus, etiãſi

maior feſtiuitas ſubſequitur. Non enim congruum eſt, vt pſalmos veſpertinales tantummodo præcedenti feſto, reliqua verò ſubſequenti tribuamus. Nam ſancti Patres nullum nobis inde exemplum reliquerũt, qui potiſſimum nos concordiá officiorum ſingulari diligẽtia ſeruare docuerunt. Summa tamen feſtiuitas ſiquando minorem ſubſequitur, ſecundam veſperam prioris feſti ex toto ſibi non incõgruè vendicabit, vt octaua Domini ſecũdam veſperam ſancti Sylueſtri. Veſperam quidẽ de quolibet feſto vniformiter perficimus, deinde alterius feſti, ſi neceſſe fuerit, poſt Benedicamus Domino, memoriam facimus, vt de ſancto Stephano, & de ſancto Iohanne obſeruamus.

Regula cõmunis de ſecundis veſperis ſingulorum feſtiuitatum.

De Innocentibus,

CAP. XXXVI.

IN natiuitate Innocentium Gloria in excelſis & Alleluya ſecundum ordinem reticemus. Item, Te Deum laudamus, & Ite miſſa eſt, quæ cum Gloria in excelſis Romano more ſolent admitti vel prætermitti. Hæc, inquam, omnia omittuntur, niſi Dominica fuerit; Gloria patri verò nun-

nunquam dimittimus, nisi de passione Domini. Meritò autem passio sanctorum Innocentium minùs festiuè quàm aliorum sanctorũ celebratur, quia licet martyrio coronati, nondum tamẽ ad gloriam sed ad infernalem pœnam discesserunt. Nã ante descẽsum Christi ad inferos, nullus sanctorũ ad illam gloriã peruenit, ad quam ipse antiquos sanctos perduxit, & deinceps suos sequaces perducere non desinit. Sed quia ipsi in resurrectione Dominica, cum reliquis sanctis liberari & conglorificari meruerunt, conuenientissimè & ipsi iuxta ordinem, solitam gloriã in officijs cũ reliquis sanctis obtinebunt, si natalis eorum vsque ad diem resurrectionis, id est, dominicam peruenerit. Octauam quoque eorum eodem modo vt aliorum sanctorum celebramus, quia iam transacta die resurrectionis non dubitamus eos gloriari cum alijs sanctis.

Sanè locus hic intelligẽdus de pœna quam vocant scholastici Carentiæ visionis Dei, neque enim alia pœna affecti creduntur pro Christo martyriũ passi.

De Officio, Dum medium silentium.

CAP. XXXVII.

SI Natiuitas Domini vel aliqua subsequentium solemnitatum in Dominica euenerit, officium Dum medium silentium

tium poſt natalem Innocentium ad priuatos dies cõgruè ſeruatur, ſicut & in alijs dominicis agimus, ſi aliquando celebrius in ijs feſtum habuerimus. Idem etiam officium Romano more recipitur, ſi quando ab octaua Domini vſque ad Epiphaniam, dominica euenerit. Omnis enim Dominica à natiuitate Domini, vſque ad Epiphaniam ex antiqua traditione illud obtinebit; quę tamen celebriori feſto occupata non fuerit. nam cùm hoc officiũ de Natiuitate Domini agat, conuenientiſſimè illis Dominicis adaptatur, quæ & reliqua officia de eadem ſolemnitate ſolent obtinere. Non enim illi ſunt audiendi, qui hoc officium, eo quòd de Natiuitate agat, nũquam poſt octauam Domini dicendum exiſtimant; cùm tamen ipſi vigiliam Epiphanię de Natiuitate Domini ex integro inofficiare ſoleãt & debeant.

De Dominica celebrandũ Officium, etiamſi in illa Octaua S. Stephani aut aliorum eueniat.

Ipſi quoque ſi Dominica in octaua Sancti Stephani vel aliorum euenerit, Dominicam de octaua inofficiant; dum tamen eccleſiaſtica ſolẽnitas non pro octaua, ſed pro Dominica agatur. Hoc autem ſancti Patres in diſpoſitione officiorũ ſummopere procurauerunt, vt officium ſemper inſtan-

inſtanti celebritati concordaret, ne clerus aliud quàm populus,in eccleſiaſticis celebritatibus obſeruaret. Præterea omnes Dominicę ſolemnitates ſibi inuicem affines,hoc habent priuilegium,vt obſeruatio eorum adinuicem continuetur: vt, Reſurrectionis vſque ad Aſcenſionē, & Aſcenſionis vſque Pentecoſten commemoramus,& omnes dominicas ijs ſolemnitatibus interpoſitis, de ijſdem inofficiamus. Sic ergo & natiuitatis Dominicæ vſque ad Epiphaniam memoriam agimus,niſi inquantum feſtis ſanctorum vel octauis eorū ſatisfacere cogimur. Eodem quoque modo infra hunc terminū occurrentes Dominicæ officium de Natiuitate poſſidebunt.

De eodem officio in alia Dominica recipiendo.
CAP. XXXVIII.

QVAMVIS autem duæ Dominicæ multotiens eueniant eo tempore, nunquam tamen ambas dominicali officio occupari feſta ſanctorum permittent,niſi eo tantùm anno,dum vigilia Epiphaniæ in Dominica euenerit. Vnde & ſanctus Gregorius ſatis cōpetenter vnū domini-

cale officiũ eo tẽpore ordinauit, eò quòd & ibi vna tantum Dominica omni penè anno occurrat, quę huiusmodi officio indigeat. Nec hoc vtique sanctus Gregorius, vel post Epiphaniá, vel post Pẽtecostẽ seruare curauit, vt tota officia semper haberemus, quot dominicę possent euenire. Nam optimè præuidit huiusmodi inæqualitatem repetitione officiorum facilè, emẽdari posse. Vnde & nos, cùm vigilia Epiphanię in Dominica occurrit, prioris Dominicæ officium pleniter repetimus. Sic & in Dominicis post Epiphaniá & post Pentecosten, quotiens necesse fuerit, iuxta Romanam consuetudinem facere debemus. Sicut enim historias Dominicarum, inquantum tempori sufficit, repetimus, nihilominus & officia eorum repetere possumus. Nam & Dominicale officium alij dominicę, quæ eiusdem obseruantiæ est, non incompetentiùs adhibebitur, quàm singulis priuatis diebus, qui dominicarum officia dum recipiunt, ex festiuis ferialia efficiunt, hoc tamen non tam ex ecclesiastici conuentus necessitate, quàm ex propria deuotione vsquequaque vsitamus. Non ergo minùs congruum

Ex instituto D. Gregorij repetenda officia, si plures occurrãt Dominicæ quã officia. Infra c. 41.

gruum videatur,ſi idem officium in alia Dominica vt eccleſiaſtico conuentui ſatisfiat,repetatur.

De octaua Domini,

CAP. XXXIX.

IVXTA Romanam auctoritatem, nõ officium;Puer natus eſt , ſed Vultũ tuũ, vt in graduali libro habetur cũ Alleluya, Poſt partum virgo, cantamus orationem Gregorianam: Deus qui ſalutis æternæ, nõ illam, Deus qui nos Natiuit. dicimus. Et notandum huius octauæ officium euidentiſſimè de ſancta Maria agere , Vnde & Romani ea die ad Sanctam Mariam ſtationem faciunt,nec immeritò : nuper enim cùm natiuitatem Domini celebraremus,nullum tam ſpeciale officium matri eius attribuere potuimus . Vnde non incongruè illam ſpecialiùs in octaua Domini veneramur,ne ſolemnitate Filij ſui expers eſſe videatur,quàm tum in eadem ſolemnitate poſt Dominum maximè honorandam eſſe non dubitamus . Matutinales quoque laudes huius octauæ de ſancta Maria agunt expreſſiſſimè . Vnde & illa reſponſoria de Natiuitate Domini,

Vide Guil. Duranti. Rationale diuinorum.

quæ

quæ de sancta Maria cõmemorant, huic diei congruè attitulantur, ne à Gregoriano eiusdem diei officio discrepemus in aliquo. apertè autem omnia in hunc modum ordinari possunt. Ad vesperam Antiphon. Tecum principium, cum reliquis. Responsorium, Congratulamini. Hymnus, A solis. Antiphona Magnum hereditatis. Inuitatorium, Christus natus est. Antiphona Dominus dixit. Antiphona, In sole. Antiphona, Eleuamini. Responsorium Descendit. Respõsorium, O magnum. Responsorium Sancta & immaculata. Antiphona, Speciosus. Antiphon. Rex omnis. Antiph. Suscepimus. Responsorium Beata & veneranda. Responsorium Congratulamini. Responsorium Cõtinet in gremio. Antiph. Homo natus. Antiph. Exultabũt. Antiph. Notũ fecit. Responsorium Cõsummatum. Responsorium Nesciẽs mater. Responsoriũ Verbum caro. Matutinales laudes, O admirabile, per ordinem. Eædem Antiphonæ in secunda vespera super psalmos de Natiuitate Domini leguntur. In Euangelio Antiphona, Qui de terra est. In Dominica autem post Natiuitatẽ Domini ita ordi-

Ita vocat Antiphonã ad Magnificat & hic & infra.

ordinabitur: Inuitatorium, Chriſtus natus eſt, Pſalmi Dominicales, cum tribus Antiphonis de Natiuitate Domini. Reſponſor. Deſcēdit. Reſponſ. Quem vidiſtis. Reſpon. O magnum. In 2. noctur. Reſponſor. Continet in gremio. Reſponſor. Confirmatum eſt. Reſponſ. Hic qui aduenit. In tertio nocturno. Reſpōſorium. Ecce Agnus dei. Reſponſ. Benedictus. Reſp. O regem. Matutinales Laudes, Quem vidiſtis. In Euangelio, Dum mediũ. Notandum autem in octaua Domini nocturnalem tantùm de ſancta Maria multum agere. Quia & diurnale officium in honorem eius videtur inſtitutum. In Dominicali autem nocte non tam de ſancta Maria, quàm de Natiuitate Domini agimus, quia & in diurnali officio ſpecialiter de Natiuitate Domini commemoramus: eſt autem traditio ſanctorum Patrũ, vt in huiuſmodi feſtiuitatibus officio Miſſæ per reliqua concordemus officia.

Officio Miſſæ reliqua correſpondere debēt officia.

De Epiphania.

CAP. XL.

Si vigilia Epiphaniæ in Dominicam euenerit, in nocte, vt prędictum eſt, canimus. In die quoque officium, Dum me-

dium,vt in priori Dominica pleniter obſeruamus. Si autẽ in alia die occurrit,idẽ quidem officium ſed cum Lectione, Scimus , & Euangelio Defuncto Herode, vnde & Cõmunio , Tolle puerũ,ſumpta eſt,cantamus: quia hoc officiũ ante vſum huius vigiliæ ibi cantabatur, vtpote Dominica eiuſdem hebdomadæ , ſicut &, Vocem iocũditatis, canitur in vigilia Aſcẽſionis,& aſſumitur Cõmunio de eiuſdem diei Euangelio. In Epiphania ad nocturnum, iuxta Romanum ordinem , vt à doloſa inuitatione Herodis diſcrepemus,ab Antiph. Afferte, ea nocte incipitur. Antiphona Fluminis,cum pſalmo in tertiam nocturnam differtur;quia maior laudatio quàm Alleluya ſonat, ſub gratia eſt , cuius typum tertia nocturna gerit, quam ante legem vel ſub lege,quod præcedentes nocturnæ ſignificant . vnde & omnes hiſtoriæ quæ ſibi Alleluya vendicant , plus Alleluya in tertia nocturna frequentant . Si Epiphania In Dominicam euenerit,nihil in ea die de officio Dominicæ tangimus. Quod tamen infra Octauam eius ideo obſeruare ſolemus , vt lectiones & Euangelia ferialia,quæ de baptiſmo

Cur nocte Epiphaniæ Inuitatorium non dicatur. Vide eadẽ de re Guil. Durantum.

ptiſmo Domini ſonant, eo tempore recitentur; cùm & feſtum de Baptiſmo Domini agitur.

De dominicis poſt Epiphaniam, CAP. XLI.

SI autem per interiacentes dies ab Epiphania vſque in octauam eius Dominica euenerit, neceſſariò eo die eccleſiaſtico conuentui, cum dominicali officio ſatisfacimus, quem non pro Epiphania, ſed pro Dominica conueniſſe ſcimus. Dominicales quoque pſalmi cum cantu de Epiphania ſunt recitandi. Sic enim omnem dominicam, Dominicis ſolemnitatibus interpoſitam, nec tamen celebriori officio occupatam, de eiſdem inofficiare ſolemus. Priuatos quoque dies ſolemnitatibus interuenientes, ita obſeruamus, vt Inuitatorium & vnam Antiphonam ſuper ferialem Nocturnam; item verſ. Reſpõſorium, & Matutinales laudes, & cętera, de Epiphania dicamus. Iuxta Romanum enim ordinem, ferialem nocturnã nunquam dimittimus, cùm tria tantùm reſponſoria dicimus, niſi in hebdomada Paſchæ & Pentecoſtes. Primæ ergo do-

minicæ officium infra hanc octauam omni anno ritè obſeruatur, etiamſi propter pluralitatem hebdomadarum vſque ad ſeptuageſimam repetendum videatur. ſicut & alia duo officia, Omnis terra: Adorate, cùm multotiens ſex occurrant hebdomadæ, ijs officijs inofficiandæ. Cùm autem vna tantum Dominica inter Epiphaniam & ſeptuageſimam accidit, duo officia, nullo Eccleſiaſtico conuentu fieri hoc exigente, in vnam hebdomadá coniungere debebit, quicunque nullum eo anno ex ſtatutis officijs prætermittere voluerit. Non ergo minùs competenter idé officium aliquando in alia Dominica repetimus, cùm nullum celebrius officium habuerimus, vnde eccleſiaſtico conuentui ritè ſatisfacere valeamus. Ipſi quoque priuati dies, Romano more, officiũ prioris Dominicæ recipiunt, ſi non aliunde competenter inofficiari poſſunt. Tamen & aquę benedictę aſperſionem, iuxta decretum ſancti Alexandri Papæ, &, Credo in vnum, non dimittimus.

Primæ Dominicæ Officium ſemper celebrãdum infra octauas Epiphaniæ, etiamſi repetendum poſtea foret. Sup. c. 38.

Aquæ benedictæ aſperſio.

De

De duobus festis in vnum diem concurrentibus,

CAP. XLII.

CVM duæ festiuitates nouem lectionum in vnum diem cōcurrunt, quarum vtraque plenum post se exigit officium, celebriorem ex integro obseruamus, alterius verò postea tantùm memoriá agimus. Si autem vtraque pleniter obseruanda videtur, non in ipsa die ambabus singula officia persoluantur, iuxta quod & sanctus Gregorius in Sacramētario, & in Graduali libro aliquotiēs vni diei bina asscripsit officia, vt vna earum in sequentem diem differatur. Sicut sanctus Gregorius Papa festum sancti Pauli, post festum sancti Petri voluit obseruare. Nam illam vsurpationem, quæ ex duobus officijs in vna die obseruandis vnum incompositè compingit, sanctorum patrum auctoritas non admittit, quę semper in officijs concordiam custodire præmonuit, videlicet vt vnam nocturnam de vno festo reliquas de alio obseruemus. Eo enim pacto si vtrique festo satisfacere niteremur, neutrum debita officiorum reuerētia celebrasse conuinceremur. Vt autem duo-

Festum cōmemorationis Pauli a D. Greg. institutum.

rum officiorum festa in vno die compleantur, separatim, non commixtim: vel vnum eorum in alium diem differatur, non tam generali totius ecclesiæ obseruationi, quàm priuatæ religiosorum vacationi adiacere videtur, qui nullum de statutis officijs prætermittere volunt.

De Martyribus Romanis Pontificibus, CAP. XLIII.

GREGORIVS huius nominis Papa septimus, Apostolicæ sedi pręsidens, constituit, vt omnium Romanorum Pontificum & martyrũ festiuitates, solemniter vbique cum pleno officio celebrentur. Nam cùm quælibet ecclesia sui patroni, etiamsi confessor fuerit, festum solemniter obseruet, quãto magis eos, qui totius Ecclesiæ, non tam patroni quàm patres extiterunt, & vsque martyrium verbis & exemplis instituere non destiterunt. Nota autem sanctum Gregoriũ Papam primũ in graduali libro de ijs martyribus, sicut & de confessoribus, Pontificalia instituisse officia, vt de Marcello, Ant. Statuit. & de Felice, An. Sacerdotes. & hoc vtique satis congruè, propter excellentiã

Officia Martyrum Pontificalia Greg. in Graduali libro instituit.

digni-

dignitatis Apoſtolicæ. Hoc etiam attendendo maiores noſtri de eiſdem ſanctis confeſſorum officia, vel curſum diei & noctis leguntur obſeruaſſe, quæ & Pontificij dignitatem eodem modo inſinuant, nec tamen in aliquo eorũ martyrio præiudicant. Idem & de ſancto Appollinare obſeruandũ eſſe gradualis liber demonſtrat. Et de ijs quidem ſanctis Hymnus, Inuitatorium, verſus, Gloria & honore, poſuiſti Domine, Magna eſt gloria eius, cantantur vt de martyribus: reliqua verò per ordinem vt de confeſſoribus. Quidam autem moderni minùs cõcordiam officiorum attendentes, de illis omnem cantum vt de martyribus obſeruant, pręter ad Miſſam: aſſerentes cõgruum eſſe, vt nocte de Martyrio eorum, ad Miſſam autem de ſacerdotali eorum dignitate agatur. Sed conuenientior videtur ſuperiorum obſeruatio. Nam Miſſa in quolibet feſto reliqua ſolet informare officia.

De octauis Sanctorum.

CAP. XLIIII.

IVXTA Romanam auctoritatem nullorum ſanctorum octauas obſeruare debemus, niſi vnde certam aliquam traditionem à ſanctis Patribus habemus. Eorum quoque, quorũ octauas celebramus, nullam quotidianam mentionem per interiacentes dies agimus, quia nullam auctoritatem inde habemus: exceptis de ſancta Maria & de ſancto Petro, quorum memoriam & alio tempore nõ ceſſamus frequentare. In feſto cuiuſlibet ſancti trium reſponſoriũ nocturnas non dimittimus, ſancto tamen, Inuitatorium, Reſponſorium, & matutinales laudes, & alia vſque ad finem Miſſæ concedimus. Reliqua de ferialibus. Nam iuxta Romanam conſuetudinem nullius ſancti trium reſponſoriorum mẽtionem facimus poſt Miſſam, ſiue illa canatur ad tertiam, ſiue ad ſextam. Immo cum ipſa Miſſa ſancti finimus. In feſto autem nouem lectionũ, omnia vſque ad ſecundam veſperam de feſto agimus.

De feſtis trium Reſpõſoriorum ac nouem Lectionum.

De

De priori vespera Dominicali, CAP. XLV.

POST octauam Epiphaniæ siue priuata dies sit, siue Dominica, leguntur Epistolæ Pauli vsque ad septuagesimã. Prior vespera cuiuslibet Dominicæ crastinam exigit orationem, quia capitulum ante Magnificat, sequenti asscribitur Dominicæ, sicut in Dominica de Aduentu Domini, & Quadragesimę, siue passionis Dominicæ comprobatur, quod & in alijs solemnitatibus penè vsquequaque frequẽtatur. Hoc vtique & Respons. & Antiphonæ indicant, quæ de crastina historia ad priorem vesperam solent anticipari. Aliquando tamen vltima Antiphona de Euãgelio prioris Dominicæ, ad vesperam prædictã reseruatur, vt in Dominicis post Epiphaniam & Pascha; quæ tamen adeo concordant, vt Antiphona, præcedentis dominicæ orationi subsequentis optimè conueniat.

Epistolæ Pauli post oct. Epiph. legendæ quotidiè.

De Aqua aspersionis, Gloria in excelsis, Ite missa est, & Credo.

CAP. XLVI.

Aquę aspersionis benedictio ab Alexādro primo instituta.

ALEXANDER Papa quintus à beato Petro constituit, vt sal & aqua benediceretur ad conspergendum populum, & habitacula eorum, quod & nos in omni Dominica iuxta Canones sequimur. Symmachus Papa in ordine 50. constituit, vt in Dominicis diebus & natalitijs martyrum, hymnus, Gloria in excelsis, dicatur. quod & nos obseruamus in omni Dominica, & in festis nouem lectionū, excepto infra aduentum Domini, & à septuagesima vsque in Pascha. in ijs tamen diebus natalicia Apostolorū & festa sanctę Mariæ iuxta Romanam consuetudinē, Gloria in excelsis, recipiunt. Semper autem cum Gloria in excelsis, Te Deum, & Ite missa est, recitamus: nisi de Natiuitate Domini in nocte, & in Cœna Domini & in vigilia Paschę & Pentecostes. Congruè autem & in festiuis diebus, Ite missa est, dicitur, quia tunc generalis conuentus celebrari solet, qui per huiusmodi denuntiationem licentiam discedendi accipere solet. Ad quotidiana autem Missarum solem-

Cum Gloria in excelsis, cantatur semper, Te Deum, ac Ite missa est, præterquam ter in anno.

lem-

lemnia, non generaliter ab omnibus,ſed à religioſis conuenitur, qui plus ſpiritualibus negotijs quàm ſecularibus inuigilant;qui & reliqua dum licet officia quotidie frequentant. Ergo conuenienter illis poſt Miſſam vt non ſtatim diſcedant, ſed vt Dominum benedicant,denunciatur.Huic aſſertioni & eccleſiaſtica cõſuetudo videtur aſtipulari,quia cum,Ite miſſa eſt, dicimus, ad populũ vertimur,quẽ diſcedere iubemus.Cùm autem, Benedicàmus Domino,dicimus, non ad populũ ſed ad altare,id eſt,ad dominũ vertimur, noſq́ue ipſos non addiſcedẽdum, ſed ad benedicendũ Domino adhortamur.Sciẽdum tamen,quod, Ite miſſa eſt,infra aduentum Domini & ſeptuageſimam,non recitetur. non quaſi eo tempore nullus fiat conuentus, qui ſit dimittendus, ſed potius pro triſtitia temporis inſinuanda. Sic & Gloria in excelſis dimittitur. Credo ìn vnũ iuxta Canonem in omni Dominica,& in omnibus Dominicis ſolemnitatibus: item in feſtis Sanctæ Mariæ & Apoſtolorum,& ſanctę Crucis,& dedicationis, debet cãtari,nec immeritò: nam & de ijs ſingulis in eodem ſymbolo ali-

Ad populũ vertimur, cum Ite miſſa eſt dicimus, aliâs ad altare.

qua

qua reperitur commemoratio. Hoc quoque notandum, quod cùm Gloria in excelſis ſemper Dalmaticæ & ſubdiaconalia reſumuntur.

De ſeptuageſima,
CAP. XLVII.

IN ſeptuageſima Heptateuchũ incipiunt. Vnde & Alexander Papa ſecũdus conſtituit, vt reſponſoria de eadem hiſtoria in eadem Dominica incipiant, & in ſequenti Dominica repetantur: Illam autem in ſabbatho ad veſperam iuſſit dimitti ante ſeptuageſimã. Ab hinc vſque in cænam Domini, Te deum, Gloria in excelſis, Ite miſſa eſt, Item Dalmaticæ, & ſubdiaconalia antiquo more dimittuntur. In biſſextili anno Natiuitatem ſancti Matthiæ Apoſtoli colimus in illa die, quæ vigiliam eius proximè ſequitur, non in alia, quæ propter biſſextum eo anno in eodem Kalendario iteratur.

Annus biſſextilis.

De feſtis infra LXX. *vel* L. *occurrentibus,*
CAP. XLVIII.

SI Purificatio ſanctæ Mariæ infra ſeptuageſimam euenerit, nihil in ea iuxta

Romanam conſuetudinem præter Alleluya de ſolita glorificatione mutamus. Sergius papa à beato Petro 86. conſtituit, vt in diebus Annuntiationis Domini, & Dormitionis & Natiuitatis ſanctę Mariæ & ſancti Symeonis, quod Gręci ὑπάντη vocant, Lætania exeat à ſancto Adriano, & ad ſanctam Mariam populus occurrat. Ὑπάντη autem nũcupatur obuiatio, quia venerabiles perſonæ Symeon & Anna eo die obuiauerunt Domino, dũ pręſentaretur in templo. Item cathedram ſancti Petri etiam infra ſeptuageſimam, & Annũtiationem ſanctæ Mariæ infra quadrageſimam ſolemniſſimè cum Dalmaticis & Gloria in excelſis celebramus. Sciendum Romano more autem, quòd Laodicenſe Concilium capitulo 51. conſtituit, vt natalitia martyrũ in quadrageſima non celebrẽtur, ſed eorum commemoratio fiat in diebus ſabbathorum, vel dominicorũ. Quòd hìc ſoli martyres nominantur, hoc ideo, quia nondum apud antiquos memoria Cõfeſſorum adeo celebris fuit. Sancti quoque Patres in Toletano Concil. de Annunciatione ſanctæ Marię conſtituerunt, vt de quadrageſima in 15. Kalendas Ianua-

Feſta virginis dei paræ iam olim celebrata.

Vide Bedã Retract. in Act. Apoſt. c. 16.

Ianuarij transferretur, vbi annuatim solemniter & conuenienter ante Natale Domini posset celebrari: vtputa cùm omnia illius temporis officia de eadẽ resonent annuntiatione, vt in Ambrosiana obseruatur ecclesia. Sed nos magis sanctę Romanæ ecclesiæ morem gerentes infra quadragesimam, illam celebramus, sicut & aliorum quorundam sanctorum. Synodaliter autem legitur statutum, vt eadem annuntiatio, si in triduo ante Pascha occurrat, in sabbatho ante palmas anticipetur, qui dies & proprio officio caret, & per totum annũ venerationi Sanctæ Mariæ solet obsecundare: quę anticipatio & omni necessaria videretur anno, dum eadem festiuitas idem sabbathũ subsequitur, eò quòd duæ subsequentes septimanæ proprijs officijs intantum sunt occupatæ, vt tantæ solemnitati dignè nequeãt deseruire. Sed nos nihil in hac editione temerè canonizatum depræhendimus. Cùm autem festiuitates nouem lectionũ in quadragesima agimus, omnia de festo, die ac nocte, & Missam de ipso ad tertiã festiuè dicimus. De quadragesima verò post Benedicamus, Antiphonamserialẽ

Dies sabbati venerationi Diuæ virginis deputatus.

cum

cum precibus & oratione, & hoc ad matutinum & veſperum tantùm, Miſſam quoque de quadrageſima ad nonam cũ genuflexione.

De capite Ieiunij.

CAP. XLIX.

In capite Ieiunij, Miſſam dicimus ad nonam, & omnia facimus vt in quadrageſima. Cùm enim illi quatuor dies pro cõplemento quadrageſimalis ieiunij præcipiátur, neceſſariò quadrageſimalem obſeruantiam obtinebunt, videlicet vt tandem poſt veſperam ieiunium ſoluatur. ſicut in Canonibus præcipitur. quod tamen alio tempore ſtatim poſt nonam ſoluatur, cùm & Miſſa ad ſextam celebratur. In hoc enim quadrageſimale ieiunium ab alijs differt diebus, quòd in alijs poſt nonam, in hoc autem poſt veſperam reficere debemus. Nec iuxta Canones quadrageſimaliter ieiunare cenſemur, ſi ante veſperam reficimur. Ergo & in ijs quatuor diebus, ſimiliter ieiunare debemus, ſi cum ijs quadrageſimale ieiunium adimplere volumus. Vnde & Miſſa in ijs diebus, non ad ſextam ſed ad nonam meritò

Etiam quatuor illis diebus non ſoluẽdum Ieiunium ante Veſperas, æquè atque per reliquũ Quadrageſimę.

ritò celebratur. Eſt enim eccleſiaſtica conſuetudo vt ad nonam reficiamur, cùm ad ſextam Miſſam celebramus: ad veſperam autem, cùm ad nonam ſacrificamus. vt ergo & in ijs diebus vſque ad veſperá ieiunemus, Canonicum eſt, vt & Miſſam ad nonam differamus. Sciendum autem nõ ſolùm modernos, vt quidam putant, ſed & antiquos à capite Ieiunij incepiſſe; cùm & ſanctus Gregorius ibi quadrageſimalia officia videatur initiaſſe. Sic enim in Gregorianis ſacramentarijs ſiue gradualibus libris euidentiſſimè declaratur.

Initium quadrageſimæ.

Subſequens tamen Dominica propriè initium quadrageſimæ dicitur; vnde & 42. dies vſque in Paſcha computantur, quibus cùm ſex dominicas ſubtrahimus, non niſi triginta ſex in abſtinentia obſeruamus. Ergo à capite Ieiunij neceſſariò incipimus, ſi cum Domino ieiuniũ quadraginta dierum cõplere volumus. Exinde etiam orationem ſuper populum iuxta Gregorij inſtitutionẽ exordimur, quá nunquam dicimus, niſi cùm & quadrageſimaliter ieiunare debemus.

De quadragesima.

CAP. L.

In quadragesima dicitur pręfatio, qui corporali ieiunio iuxta statutum Pelagij Papæ non minus in Dominicis quam in earum ferijs, A dominica tamen palmarum, eo quod ibi passiones legere incepimus præfationé de Cruce dicimus vsque in cœná Domini videlicet per illos dies quinquepartitam Domini passionem intimátes, Ipsamque hebdomadam quam sancti patres maiorem vocát eadem præfatione adornantes, nam & conuenientissimè eo tempore dicitur, cum de passione Domini tam specialiter agitur. In prima hebdomada quadragesimæ celebrandum est ieiunium vernale, sicut & sancti patres Leo magnus, Gelasius, Gregorius Papa primus, & secundus & septimus constituisse leguntur. Tractum Domine non secundum, quem in quadragesima frequentamus, non tam ex Romano ordine, quàm ex nostra consuetudine vsurpamus. Melciades Papa à beato Petro 33. vt nullus in Dominica nec in quinta feria ieiunaret, Vnde sanctus Gregorius in Dispositione officiorum quintam

Præfatio quadragesimalis etiam in Dominica recitanda.

De ieiunium quintæ feriæ in quadragesima à quo institutũ.

feriam infra quadrageſimam vacantem diuiſit, vt quia feſtiua erat, ſic Dominica etiam officio Dominicali honoraretur. Sed quia eadem feria ieiunijs poſtmodũ applicata eſt, vt reliquę, Iunior Gregorius ſtatuit eſſe ſolemnẽ officijs vndecunque collectis, & maximè ex æſtiualibus Dominicis, vnde & Antiphonæ ex Dominicalibus Euangelijs quintis ferijs adhuc aſſcriptæ reperiuntur, vt ex Euangelio. Homo quidam erat diues, & Ibat Ieſus, & in hebdomada quoque Pentecoſtes, quinta feria officio Dominicæ inofficiatur. Sabbatha ante quadrageſimã & ante palmas ipſarum Dominicarum officia recipiunt, nec immeritò, cum quilibet dies priuati de ſuis Dominicis ſoleant inofficiari. Ad omnes horas quadrageſimales genua flectimus. Item ad Miſſam, etiamſi ſalutatio præcedat orationem, niſi alia oratio ſine ſalutatione præceſſerit; tunc enim ad priorem tantũ genua flectimus, excepto in quarta feria poſt Palmas, vbi ad vtraſque iuxta Romanum ordinem genua flectimus.

De oratione ſuper Populum.

CAP. LI.

ORATIONEM ſuper populũ in quadrageſima ideo frequentamus, quia cum maiorem cõflictum in ieiunijs & orationibus contra ſpirituales nequitias ſumimus, neceſſario nos inſtantius deo commendare debemus. Nam oratio poſt cõmunionem pro ſolis communicantibus ſolet orare. Populus autem etſi quotidie in quadrageſima conueniat, non tamen quotidie, vt deberet, communicat. Ne ergo populus ita oratione, vt communione careret adiecta eſt oratio ſuper populum. In qua non de communicatione, ſed pro populi protectione ſpecialiter oratur. In Dominicis tamẽ diebus nõ dicitur, quia genuflexio vitatur, quæ huic orationi à populo antiquitus perſoluebatur, vel potius ideo, quia omnes iuxta atteſtationẽ, ſancti Ambroſij in Dominicis diebus cõmunicare deberent quibus & oratio poſt communionem pro benedictione ſufficere poſſet. Sciendum eſt autem iuxta antiquos patres quod ſoli communicantes diuinis myſterijs intereſſe conſueuerunt, vnde & ante oblationem iuxta Canones

In locum communionis hæc oratio ſuper populum ſubrogata eſt.

iubebantur exire Catechumini & pœnitentes; videlicet qui nondum se parauerunt ad communicandum. Hoc quoque ipsa sacramentorum innuit confectio. In qua sacerdos non pro sola sua oblatione & communicatione, sed & aliorum rogat, & maximè in oratione post communionem, pro solis communicãtibus orare videtur. Nec propriè communio dici potest, nisi plures de eodem sacrificio participent. Apud Græcos etiam, vt legitur, excommunicandus est, qui vsque ad tertiam Dominicam non communicauerit; Beatissimi quoque patres nostri, Ambrosius & Augustinus ad quotidianam nos hortantur communionem. Sed quia hoc modo nec ab omnibus presbyteris, necdũ à laicis obseruatur; cõgruè adiecta est oratio super populum, vt vel eo tempore vltima benedictione populus non careret, dum tamen communicare non soleret. Hinc quoque & illa cõsuetudo apud modernos quæ non fuit apud antiquos, inoleuisse videtur, vt & in alijs temporibus. Etiam presbyteri post finem Missæ benedicant, ne populum ita benedictione vt cõmunione priuatũ discedere permittãt.

Vide Vvalafridum de rebus eccles. c. xx.

De

De diebus Dominicæ Paſsionis.

CAP. LII.

A dominica de paſſione domini noſtri non dicitur vſque in Paſcha, Gloria patri ad Reſpõſorium vel Introitus, vel ad pſalmum Venite, ad quem etiam repetitio Inuitatorij ſolet mutari, id eſt, vt ad primum uerſum à medio, ad ſecundum autem à principio repetatur, & ſic uſque in finem alternatur. In pſalmis ad Tertiam nocturnam legitur omilia de Euangelio, Cum appropinquaſſet. Iuxta ordinẽ non dimittitur ſalutatio ad paſſiones niſi in Paraſceue. [vbi & ſacerdotale officium recitetur] ſed Gloria tibi Domine non ſubiungimus. Sciẽdum autem ſiquando infra paſſionem Domini de aliquo ſancto agimus, Gloria patri non omittimus. In feria ſecunda & tertia poſt palmas duę lectiones leguntur continuatim ad Miſſam, vt in Natiuitate Domini. Item poſt mediam Quadrageſimã in quarta feria, & poſt palmas duæ lectiones leguntur, & ſingulæ accipiunt genuflexiones, nec immeritò: Nam & Apoſtolus in eadem die in Antiphona ad Introitum, Omnia cæleſtia & terreſtria & infernalia ad genufle

Superflua hæc verba videtur. M. C. etiam lineis duabus hæc verba concluſerat.

xionẽ pro Paſſione Domini hortatur, quę in hac die conſilio Iudæorũ facta legitur: quod enim in hac die Iudæi cõſiliati ſũt, hoc in Paraſceue peractũ eſt. Sicut ergo paraſceue plus quã aliæ feriæ ſextę in genuflexionibus celebris habetur. ſic & in hac quarta feria plus quàm in alijs, genuflectere debemus. Cũ enim omnes quartas ferias pro paſſione Domini ſeruemus, quis negat illam nobis maximè obſeruãdam, quæ nobis eãdem ſpecialius paſſionem annuatim repręſentat? Iuxta Romanum quoque ordinem eaſdem orationes cum genuflexionibus in quarta feria dicere debemus, quas & in paraſceue ante ſalutationem Crucis ſancta eccleſia ſolet obſeruare. Præterea hęc hebdomada iuxta Romanum ordinem maior appellatur, eo quod ex ſanctiſſimo dominicæ paſſionis ſacramento inſignior cęteris habeatur. Iure ergo eandem & lectionibus & genuflexionibus ſiue in alijs obſeruationibus celebriorem quàm alias habemus. Iuxta Romanum ordinem in cœna Domini Paraſceue & ſabbatho ſancto, ad matutinales laudes poſt Benedictus ſub ſilentio dicendum eſt. Kyrieleyſon, preces &

Hebdomada Maior vnde dicatur.

ces &

ces & orationes. In cœna Domini, Gloria Patri, & Gloria in excelſis reticetur, niſi vbi Chriſma conſecratur, diaconi tamen Dalmaticis & ſubdiaconi ſubdiaconalibus vtuntur. In qua die ſub anathemate interdicitur, ne quis ſoluat quadrageſimale ieiunium vt Priſcillianiſtæ faciunt. Sic enim ſancti patres noſtri in Laodicenſi & in Toletano concilio conſtituiſſe leguntur. Hinc beatus Leo in ſermone de quadrageſima. Qui, inquit, in quadrageſima vnum diem prætermittit, totã quadrageſimam violauit, præcipuè illam diem, quę cum finis ſit quadrageſimę, magis eſt obſeruanda, quàm alij. quia omnis laus in fine canitur; In paraſceue officium à lectione, non ab oratione iuxta ordinem incipitur. Nam oratio finis eſſe ſolet potius officiorum quàm principiũ, vt in ipſa Miſſa patet, & in ſingularibus curſibus. In eadẽ die ante ſingulas orationes præter illam de Iudæis; Flectamus genua, dicimus; ſtatimque, Leuate, poſtea orationem ſubiungimus, Romano more, ſicut & in alijs diebus continuamus.

In Cœna domini ieiunium nõ ſoluendum.

Qui vnum diẽ prætermittit, totam quadrageſimam violat.

De ſabbatho ſancto. CAP. LIII.

IN ſabbatho ſancto Zozimus papa cereum magnum benedici conſtituit, qui & ante benedictionem illuminádus eſt, & in octauis Paſchæ populo diſtribuẽdus ad ſuffumigandum rebus eorum, quem diaconus accepta benedictione ab aliquo ſacerdote debet benedicere. Duodecim lectiones iuxta Romanum ordinem legendæ ſunt abſque titulis ante baptiſmũ. Poſt baptiſmum presbyteri demum poſſunt miſſam ſi neceſſe fuerit, priuatim celebrare, quia iam renati ſunt, de quibus ſpecialiter in miſſa agere debemus, nec poſtea à lectionibus quas iam audiuimus, ſed à lætania incipere ſolemus.

Cereus Paſchalis olim populo diſtributus.

Miſſa priuata.

De Paſchali obſeruatione. CAP. LIIII.

IVXTA Romanam auctoritatẽ Agnus in Paſcha benedicitur, non ad altare, ſed ad communem mẽſam. Credo in vnum, & alia huiuſmodi quotidie vſque in octauá dicimus vt in die ſancto. Verſum Gradualis Benedictus qui venturus, in quinta feria. Lapidem, in ſexta feria congruè dicimus. In qua Dominus à Iudæis reprobatus

Sic etiá Rupertus de diu. offic. lib. 8.

batus eſt. In ſabbatho infra octauas Paſchæ, Antiphona Cum eſſet ſerò, ad veſperam cantatur, eo quod idem Euangeliū apud antiquos vſque ad, Thomas autem, in eodem ſabbatho legebatur: Sicut adhuc breuiaria Euangeliorū teſtantur. Ad veſperam feriales pſalmi dicuntur cum Alleluya, & in nocte Dominica nocturna & nouem lectiones iuxta Romanum ordinem. Et ſic deinceps feriales pſalmos ad veſperam & ad nocturnam cum Alleluya dicimus, niſi feſtum occurrat nouem lectionum. Semper tamen ad matutinas Dominus regnauit, recitamus. Sed quia quamplures, omnes dies hinc vſque in Octauam Pētecoſtes cum tribus pſalmis & lectionibus obſeruare volunt, operæprecium videtur, vt ad auctoritatem ſedis Apoſtolicæ recurramus, & inde quid nobis faciendum ſit exploremus, vnde totius Chriſtianæ religionis formam accepimus. Gregorius Papa in Apoſtolica ſede cōſtitutus in hac cauſa tale ſtatutū promulgauit. A die inquit reſurrectionis, vſque in ſabbathū in albis, & à die Pentecoſtes vſque in ſabbathū eiuſdē hebdomadæ, tres pſalmos tātum treſque

Breuiaria Euangeliorum.

Statutū Greg. papa 7. de numero Pſalmorū ac Lectionū per annum integrū citatur etiam a Gratiano de conſ. diſt. 5. c. In die.

lectiones antiquo more cantamus & legimus. Omnibus alijs diebus per totum annum, si festiuitas est, nouem psalmos & nouē lectiones dicimus: alijs autem diebus duodecim psalmos & tres lectiones recitamus. In diebus Dominicis octodecim psalmos, excepto die Paschæ, & die Pétecostes, & nouem lectiones dicimus. Hoc etiam vsquequaque iuxta Romanū ordinem ita fieri statuimus, vt supra notauimus. In octaua Paschæ; Dignus es Domine, & Apocalypsin, iuxta ordinem incipimus.

Grat. & Radulphus sic legūt. Nos autem inuestigantes Ordinem Romanum, ita fieri statuimus, vt supra prænotauimus.

De festis infra Paschale tempus.

CAP. LV.

Ab octaua Paschæ vsque in Pentecosten in festo trium responsoriorū, vnum Alleluya tantum. Nouem verò lectionū, duo Alleluya ad Missam cantamus, siue de resurrectione, siue de alio festo. Et cū duo Alleluya dicimus, non primum, sed secūdum repetimus. Præfationem quoque vsque in ascensionem Domini non omittimus, quia die & nocte Paschale officium celebramus. Incongruum enim esset, vt sola præfatio ferialiter, & omnia alia

alia Paſchaliter obſeruarentur. In natiuitate tamen Apoſtolorum Philippi & Iacobi præfationem de Apoſtolis dicimus. ſicut & de Cruce in iuuentione ipſius. Hoc tempore nullius feſti vigiliam ieiunare vel obſeruare iubemur, niſi Aſcenſionis & Pentecoſtes. Hoc quoque congruè in omnibus vigilijs obſeruatur, vt Nona de futuro feſto peragatur, ſi tamen poſt Miſſam differtur, videlicet, vt poſtquam de feſto poſt Miſſam incipimus, nullam deinceps cum nona diſſonãtiam officiorum faciamus, quam maximè ſancti patres in diſpoſitione eorundem deuitare ſtuduerunt. Sciendum autem quod Antiqui de ſanctis cõmuniter in Paſchalibus cãtare ſolebãt, vnde adhuc de vno, quæ ad plures pertinent, cantantur, vt Alleluya, Gaudete, & offertorium Confitebuntur. Et Reſpõſorium In ſeruis ſuis. Et hoc ideo quia vniuerſali reſurrectione, cuius typus eo tempore agitur, communis eſt lætitia & feſtiuitas iuſtorum. Ideo etiã inuenitur in Martyrologijs ſiue in ſacramentarijs feſtiuitas ſanctorum Iacobi & Philippi & omnium Apoſtolorum. Euſebius Papa à beato Petro 32. conſtituit vt om-

Quorum feſtorum vigiliæ celebrentur tempore paſchali.

Apoſtolorum omnium feſta olim celebria. inuentio crucis feſtum ab Euſebio Papa inſtitutum.

Inuentio.crucis festum ab Eusebio papa institutum.

nes Christiani Inuentionem sanctæ Crucis 5.nonas Maij solemniter celebrarent. Vnde & nos illam cum pleno officio obseruare debemus ; quod non incongruè ita ordinare possumus. Antipho. Helena. Inuitatorium. Alleluya, Regem crucifixum. In.j.noctur. Antiphona. Adoremus. Antiphona. Adoramus. Antipho. Tuam crucem. Psalm. Domini est terra. Conserua me, Domine in virtute. Vers. Omnis terra Responsorium Hoc signum crucis. Responsorium Agnus Dei Christus. Responsorium Ecce vicit Leo. In secundo nocturno Antiphona Crucem sanctam. Per signum crucis. Nos autem. Psalmi; Domini est terra. Magnus Dominus. Iubilate. Versus Dominus regnauit a ligno. Responsorium Dignus es Domine, Responsorium Audiui. Responsor. Dulce lignum. In tertio nocturno. Antiphona Saluator mūdi. Antiphona Salua nos. Antiphon. O magnum. Psalmi Cantate. prim. Dominus regnauit exultet, Cantate, secund. Vers. Mihi autem absit gloriari. Respons. Bonum est confiteri Domino. Responsorium; Dicant nūc. Respons. O crux benedicta. Ad laudes matutinales.

les Antiphona;Helena Conſtantini. Antiphona; Tunc præcepit. Antiph. Helena ſancta. Antiphona; Cumque aſcend. Antiphona;Orabat Iudas. In Euágelio. Antiphona. Cũ oraſſet Iudas. De ſancto autem Alexádro & ſocijs eius poſt Benedicamus, commemorare ſolemus. Exaltatio autem ſanctę crucis non adeo generaliter & ſolemniter celebratur,& hoc fortaſſe ideo,quam nullum inde tam ſpeciale ſtatutum, vt de inuentione reperitur.

Cur Exaltatio crucis nõ æquè celebris.

De Paſcha annotino.

CAP. LVI.

ROMANI annotinum paſcha quaſi anniuerſarium paſcha dicunt, quia antiquitus apud illos,qui in priori Paſcha baptizati ſunt, in ſequenti anno eadem die ad eccleſiam conuenere,ſuæque regenerationis anniuerſarium diem cum oblationibus ſolemniter celebrauerũt. Cuius diei hòc erat officium Reſurrexi,per totũ. Lectio Vidi Oſtium. Euang. Erat homo ex Phariſæis,cum orationibus ad hoc cõpetentibus, quæ omnia apertiſſimè de gratia regeneratorum agere vidẽtur. Sed quamuis huiuſmodi anniuerſarius à pau-

Annotiuum paſcha anniuerſarium baptiſmi.

cis

cis vſpiam obſeruetur, authentici tamen libri ipſum obſeruari debere innuūt, qui nobis lectiones & Euangelia ſub titulo Paſchæ annotini præſcribunt. Sed enim quilibet ſuum natale quo ad æternā mortem natus eſt, obſeruat; quanto magis illum obſeruare deberet, quo ad æternā vitam regeneratus eſt.

De Letanijs.

CAP. LVII.

Maior Lætania a D. Gregorio, Triduanæ vero Letaniæ à D. Mammerto inſtitutæ.

MAIOR Lętania à beato Gregorio Papa primo, pro peſtilentia ipſius temporis inſtituta eſt, quia & Iohanni Epiſcopo Rauennati ſcribens, diem Letaniæ tempus cineris & cilicij appellat. Triduanę autem Lętaniæ ante Aſcenſionē Domini nō Romanę, ſed Gallicane ſunt: quia illas ſanctus Mammertus Viennenſis Epiſcopus inſtituiſſe legitur, quas ſancti patres non equitando, nō veſtibus precioſis vtendo, ſed in cinere & ciliico, ſicut & maiorem Lætaniam obſeruari ſtatuerunt. In quarū vltima die in vigilia Aſcenſionis Domini canitur officium Vocem Iocūditatis. Offert. viri Galilæi. Communio, Pater cum eſſem.

De hebdomada Pentecoſtes.

CAP. LVIII.

IEIVNIVM æſtiuale ſemper in Pentecoſte eſt celebrandum. Nam orationes & lectiones de eodem ieiunio, agunt de ſpiritu ſancto. Sicut ergo ieiunium vernale ſemper infra quadrageſimam eſt celebrandum, eo quòd quadrageſimalia habeat officia, ita & iſtud infra feſtum ſpiritusſancti vnde habet officia aptè celebratur. Sic enim ſancti patres de vtroque ieiunio conſtituiſſe leguntur. In ieiunio Pẽtecoſtes genua non flectimus, iuxta Romanum ordinem. Quidam etiam ad Miſſam ieiunij, nec Gloria in excelſis præmittunt, ſed incongrue, cum eadem miſſa de tertia mutetur ad ſextam. Sunt enim tres horæ in die, ex dominica paſſione ad celebranda myſteria conſecratæ videlicet, Tertia, in qua linguis Iudæorũ condemnatus eſt. Sexta, in qua manibus gentiliũ crucifixus eſt. Nona, in qua emiſit ſpiritum. Inter quas hora tertia in feſtiuis diebus maximè obſeruatur, ea fortaſſe ratione, quia inter reliquas paſſionis horas tempori Dominicæ reſurrectionis ſiue Natiuitatis propinquior eſſe videatur.

Horæ tertia, ſexta, ac nona.

tur. Sexta vero, vel nona ieiuniorum officijs deputantur Excepto autem in Cœna Domini. In ſabbatho Paſchæ & Pentecoſtes, nunquam alicui miſſæ Gloria in excelſis aſſcribitur, niſi illi, quam & feſtiuè ad tertiam celebrare debemus. Ergo non incongruè & Miſſis huius ieiunij Gloria in excelſis ſubtrahimus, quas non feſtiuè ad Tertiam ſed ad Sextam obſeruare ſolemus. Quidam autem ſatis aptè in hoc ieiunio duas Miſſas cantāt, vnam ad Tertiam ſolemniter, cũ Gloria in excelſis, vt feſto ſpiritus ſancti ſatisfaciant: Alterá poſt ſextam pro ieiunio; ſicut feſto S. Thomæ; ſatisfaciunt in ieiunio hyemali, & feſto ſancti Matthæi in ieiunio Autumnali. Item ſancto Marco in Lætania maiore, & annuntiationi ſanctę Marię in quadrageſima, videlicet vt prior Miſſa feſto, ſecunda vero ſatisfaciat Ieiunio, ad quod etiam non gradualia, vt antiquitus, ſed Alleluya cantamus.

Apudquoſdam duę Miſſæ, quã do dieb. Ieiuniorũ feſta occurrunt.

De

De octauis Pentecoſtes.

CAP. LIX.

SEQVITVR Dominica vacans, cui attitulatur lectio Vidi oſtium; orationem verò, id eſt, deprecationem, ex quadrageſima, & Euangelium de Paſcha annotino mutuauit officium autẽ de ipſo die Pentecoſtes eo quòd octaua eius ſit, competenter accipit. Ad nocturnam nouem lectiones iuxta Romanum ordinem dicimus, Licet totidem reſponſoria de ſpiritu ſancto, in antiquis Antiphonarijs non inueniamus. Et hoc fortaſſe ideo, quia Romani non ſingulis lectionibus ſingula ſemper ſubiungũt reſponſoria. nam Tertium ſiue nonum multotiens prætermittunt. Nos tamen prædictis nouem lectionibus totidem Reſpõſoria Alleluyata vndecũque collecta Gregoriano more ſubnectimus, id eſt, communiones pro Reſponſorijs accipientes, vt in aliquibus libris rèperitur. In craſtinum autem de libris regum ad nocturnam legimus & canimus, & officium ad miſſam, Domine in tua, niſi aliquod celebre feſtum habeamus. Ipſum etiam officium in ſequenti Dominica Romano more poſſumus

Repeti poteſt Dominica poſt Oct. Pẽtecoſtes officium feriæ ſecundæ.

repetere, ſi tamen eo anno vſque in aduentum Domini plures hebdomadæ fuerint. Sin autem, officio, Domine in tua, ſolę feriæ ſufficiant, Sicut cuilibet Dominicali officio feriæ ſufficiunt, cuius Dominicam aliquod celebre officium occupauerit.

De officio Sanctæ Trinitatis.

CAP. LX.

Rupertus ſua ætate feſtum Trinitatis celebrat. G. etiam Durantus non obſtãte hac cõſtitutione Alexandri, contra Arrianos inſtitutum docet, vnde & à nobis celebrandum.

QVIDAM autem officium de ſancta Trinitate, in octaua Pentecoſtes inſtituunt, licet nõ ſit Alleluyatũ, quod & per totã ſubſequentẽ hebdomadã obſeruandũ putant, ſed non eſt authenticũ. Vnde piæ memoriæ Alexander papa de hac re inquiſitus reſpõdit, iuxta Romanum ordinem nullum diem ſpecialiter aſſcribi debere ſolemnitati ſanctæ Trinitatis, ſicut nec ſanctæ vnitatis, præcipuè cùm in omni Dominica imò quotidie vtriuſque memoria celebretur. Sciendum autem quendam Albonium magiſtrum Karoli rogatu ſancti Bonifacij Archiepiſcopi, vt aiunt, Miſſales orationes de Sancta Trinitate compoſuiſſe, & in ſecunda feria de ſapientia, In tertia de ſpirituſancto, In quarta

quarta de caritate, In quinta de angelis, In ſexta de Cruce, In ſabbatho de ſancta Maria. Et hoc ideo vt presbyteri illius tẽporis nuper ad fidem conuerſi, nondum eccleſiaſticis officijs inſtructi, nondum etiam librorum copia præditi, vel aliquid haberent cum quo officium ſuum qualibet die poſſent explere. Vnde & adhuc quidam eaſdem orationes quotidie etiã, cũ proprio abundent officio, nolunt prætermittere. In ſingulis quoque hebdomadibus, ſexta feria de Cruce, & ſabbatho De ſancta Maria pene vſquequaque ſeruatur, non tam ex auctoritate quàm ex deuotione. Sicut enim huiuſmodi obſeruationes nulli magis hebdomadæ quàm alij aſſcribuntur, ita nihilominus & illa de ſancta Trinitate. Incongruum ergo videtur vnam Dominicam cum orationibus Albini, & cantu Stephani De ſancta Trinitate celebrari. Cùm omnes Dominicæ âuthenticæ abundent officijs, quæ non minus nobis intimãt honorem ſanctæ Trinitatis. Præfationẽ autem de ſancta Trinitate quam in diebus dominicis frequentamus, non ex Albino, ſed ex Romana auctoritate ſuſcepimus. Nam hæc

Stephanũ hunc etiam officium compoſuiſſe de Inuent. S. Stephani, teſtatur G. Durantus. Vocat ille Laudicenſem alij Leodienſem epiſcopum.

Præfatio de Trinitate cum alijs nouem cō poſita à Pelagio papa II.

Albinus Orationum Gregorianarum collector.

eſt vna ex illis nouem, quas ſolas Pelagius Papa anteceſſor Gregorij conſtituit obſeruari. Fecit tamē idem Albinus in ſancta eccleſia non cōtemnēdū, nam Gregorianas orationes in libris ſacramentorum collegiſſe aſſeritur, paucis alijs adiectis, quas tamen ſub obelo notandas eſſe indicauit. Deinde alias orationes ſiue præfationes, etſi non Gregorianas, eccleſiaſticæ tamen celebritati idoneas collegit, ſicut prologus teſtatur, quas poſt Gregorianas orationes, in medio eiuſdem libri, collocauit.

De concordia & ordine officiorum.

CAP. LXI.

Officiorum cōcordia confunditur intercalatione Dominicarum vacantium.

SCIENDVM autē quod ſanctus Gregorius, ita eccleſiaſtica ordinauit officia, vt prima oratio in Miſſa, officio, lectioni & euangelio ſemper concordet; ſicut in omnibus ſolemnitatibus compræhendi poteſt. Sed hanc concordiam in æſtiualibus Dominicis illi maximè confundunt, qui vacantium Dominicarum orationes incongruè aſſumunt. Verbi gratia, vt illā orationem. Deprecationem, quæ etſi in octaua Pentecoſtes poſt ieiunium quatuor

tuor temporum legitimè ponatur, multotiens tamẽ & inter Dominicas in tertio loco reperitur, & hoc ideo quia & prędictum ieiunium in ſecunda hebdomada poſt Pentecoſten aliquando licet incõgruè celebretur. Qui ergo prædictam orationem tertio Dominicali officio applicauerit, concordiam officiorum vſque in aduentum Domini ſecundum ordinẽ diſturbabit. Eodem modo & ille peccabit, ſi quis poſt ieiuniũ Autumnale orationi vacantis Dominicæ, ſiue illi orationi, Abſolue [quod ieiunium præcedit,] aliquid ex dominicalibus officijs adoptauerit. Ijs ergo præmiſſis ita Miſſales orationes ſingulis officijs feriatim copulentur, vt illa oratio: Omnipotens ſempiterne Deus, qui abundantia pietatis. Et illi Euangelio Duo homines, ſocietur, quæ adinuicem adeo concordant, vt deuotio Publicani in ipſa oratione exprimi videatur. Item illa ſecreta, Deus qui legalium, differentia ſacrificiorum ſemper iniungenda eſt illi offertorio. Sicut in holocauſto. Nã quamuis & aliæ huiuſmodi orationes ſuis officijs indubitanter concordent, in prædictis tamen euidentior con-

Superfluũ hoc eſſe ſubindicat cod. man. quippe quòd lineis duabus includitur,

Reſtituendi ex hoc loco Miſſales quidã libri.

cordia notatur, quam qui diligenter obseruauerit, nec antea nec postea concordiam officiorum disturbabit, si per ordinem officijs orationes sociare voluerit.

De Dominicali officio non facilè prætermittendo.

CAP. LXII.

IVXTA Romanam consuetudinẽ in omni Dominica ecclesiastico conuentui cum officio dominicæ satisfacimus, nisi aliqua celebris festiuitas in ipsa die occurrat, vt festum Iohannis Baptistæ, vel sancti Petri Apostoli, pro quibus non minus quàm pro Dominica populus solet congregari, quas & in alijs diebus solemnissimè celebraremus. Itẽ cùm plures sunt Dominicæ quàm officia, non vt quidam differimus, sed quotiens necesse fuit aliqua repetimus, Illo duntaxat obseruato vt vltimum officium in proxima tantum hebdomada ante aduentũ Domini cantetur. Est enim præparatio Dominici aduentus. vt sicut antiqui patres per quinque ætatum curricula annorum, siue per quinque libros Moysi de aduentu Christi edocti sunt, nihilominus & nos per quinque

Officia Dominicarum, si plures sint repeti debent non differri. Supra 29. 38. ac. 41.

quinque Dominicas de Aduentu eius instruamur. Vt iuxta euangelium eiusdem diei, de quinque panibus, cum quinque milibus hominum saturari mereamur.

Explicit μικρόλογος.

Hic libellus catholicus est, neque indignus qui in lucem emittatur.

Anthonius Ganspoel.

AVG. HVNNÆI.

DE SACRAMENTIS ECCLESIÆ AXIOMATA:

QVIBVS B. THOMÆ Aquinatis, totiusque Ecclesiæ Catholicæ, DE SACRAMENTIS doctrina, breuiter atq. dilucidè est cōprehensa.

OPVS *nunc primum in lucem prodiens, & omnibus tam catechismi Catholici, quam sacræ Theologiæ studiosis, longè vtilissimum.*

Quæ prætereà accedant versa pagella indicabit.



ANTVERPIÆ,
Ex officina Christophori Plantini.
M. D. LXX.

AD operis huius calcem adiunctum est Schema, vniuersam tractatus B. Thomæ de Sacramentis materiam, eiusque ordinem, partium connexionem, & quęstionum, quibus singulæ partes apud Thomam explicantur, numerum, ob oculos ponens.

Item

Alphabeticus omnium in eo B. Thomæ tractatu, & in his Axiomatibus explicatorum locorum communium, index.

REVERENDO IN CHRISTO PATRI D. IOANNI *Lindano Gertrudani Cœnobij apud Louanienses abbati præstantissimo, & viro, cùm generis nobilitate, tum virtutis & eruditionis laude clarissimo Augustinus Hunnæus*

S. P. D.

CVm ante annos decẽ in vestro Gertrudano cœnobio, amplissime præsul, quartũ sententiarum librũ, in quo de sacramentis agitur, prælegerem, idemq́; argumentum ex summæ B. Thomæ Aquinatis tertia parte disputarem; inter alias cõmonitiones, frequenter meos discipulos ad locos communes theologicos sibi comparandos (in quibus tanquam in commodis quibusdam & benè digestis scriniolis, quicquid apud vllum scriptorem memorabile & scitu dignum reperissent, ita disponere atque recondere possent, vt quocunq; in posterum tẽpore eius vtendi sese offerret occasio, paratum haberent) cohortari solebã: Illud adiiciens, si vniuersam Sum-

mæ Theologicæ B. Thomæ Aquinatis doctrinam (quæ ipsa tota per locos communes est digesta) summatim & quam paucissimis fieri posset axiomatibus (omnibus, ex vtraque disputationis parte argumentis subtractis) comprehenderent, itaque comprehensam omni cura atque diligentia memoriæ mandare niterentur, vtilissimam eos nauaturos operam, vberrimumque sui laboris inde fructum percepturos esse.

Ipse quoque vt non modò verbis, sed etiam opere & exemplo, istius generis studij Theologici vtilitatem illis commendarem; cœpi ea, quæ B. Thomas in sua Summa de sacramentis, doctissimè quidem, sed admodum prolixè, disputat ad eum, quem iam dixi modum, contrahere: quem quidem conatum, licet frequenter grauissimis meæ professionis theologicę occupationibus interruptum & intermissum, Deo tamen vires suppeditante, tandem ad optatum perduxi finem: & ita perduxi, vt pleriq; amici nostri, iidemq; viri doctissimi, quod præstiteram sibi magnopere placere, & si in lucem ederetur, fore vt hoc adminiculo, theologiæ studiosis adolescentibus, & la-

boris

boris plurimum leuaretur, & vtilitatis non parum, tum propter rei commoditatem, tum etiam propter industriæ imitationem compararetur, assererent.

QVORVM iudicium, tũ quod per se maximi apud me esset momenti, tum etiam quod idem ipsa experientia antea compertum haberem, non potui non probare atque sequi. Vehementer enim animum meum cõmouebat quod plerosque ex meis discipulis magnos breui tempore in studio Theologico, hac, vt mihi persuadebam, studendi ratione progressus fecisse animaduerterem, qui postea ad Baccalaureatus gradum conscendentes, luculentum suæ eruditionis documentum publicè dederunt: inter quos nõ postremus erat dominus Adrianus Beaufortius tunc adolescens maximæ spei, nunc autẽ vir & pietate singulari & disciplinæ monasticæ, tũ in sua vita instituenda cultor diligentissimus, tum in aliorum formandis moribus grauissimus (vt ex laudabili eius Prioratu, quo septimum iá fungitur annum, omnibus est notũ) atq; optimus præceptor.

ITAQVE maiorem publicæ vtilitatis, quàm nostri nominis, rationem ha-

bendã esse existimantes, passi sumus hãc, licet rudem adhuc, & parum pro argumenti dignitate, & nostri seculi excellenti eruditione, expolitã (neq; enim nobis per cõtinuas & grauissimas quotidianæ professionis Theologicę occupationes necessarium ad eã expoliendam tẽpus adhibere vacauit) lucubratiunculã in lucem ad communem studij Theologici vtilitatem ac facilitatem promouendã, exire.

CVM autem lõgo iam vsu, plurimisq; doctorum hominum exẽplis receptum videremus, vt eiusmodi teneri adhuc literarij fœtus, quo publicę lucis radios faciliùs ferre & aduersus obtrectatorũ iniurias tutiores esse possint, eximij alicuius, & auctoritatis dignitatisque spectatæ viri patrocinio atque tutelæ commendentur, eiq; dedicentur, tam vsitatam, & tanto doctissimorum hominum vsu receptam celebratamq; consuetudinem, nequaquam negligendam duximus.

ITAQVE cùm multum diuq; apud nos cogitantes, istorũ tertiæ partis Summæ B. Thomę axiomatum nũc primum prodeũtium in lucem patronum atque protectorem, cui & grata essent, & cuius auctoritate, nominisque splendore candidis

didis lectoribus commẽdatiora,& ab inuidorũ maledicorumq. obtrectationibus tutiora redderẽtur quæreremus; tametsi non pauci tales nobis occurrerent, qui tibi tamẽ, Reuerende Pręsul, hac in parte pręferẽdus videretur, occurrebat nemo.

MOVEBAT enim me, non parum quod ex vniuerso Gertrudanorum conuentu, in quo complures pietate, doctrina & gubernandi dexteritate præstantes viros esse omnibus palam est, te propter summa tua in Gertrudanũ cœnobium merita, maximamq́ue tui Prioratus, quo idem cœnobium per decem totos annos rectè sapienterq́; administrasti, laudem, cæteris postpositis, abbatem electum & confirmatum; Regia Maiestate electionem comprobante viderem.

QVOCIRCA & meum & bonorum omnium cõmune gaudium (quod licet multi apud vos eodem honore digni fuerint, tibi tamen vt dignissimo & maximè omnium idoneo hic honor sit delatus) mea voce testãdum, omnibusq́;, quibus hunc honorem & gratum & felicem accidisse arbitrabar, arrepta istius libelli sub tuo nomine diuulgandi occasione, gratulandum putaui.

VESTRO igitur in primis Gertrudano cœnobio gratulor, quod D. Philippo Hoſdenio piæ memoriæ abbate laudatiſſimo (cuius laudes ab omnibus omniũ ordinum hominibus certatim celebrantur, & celebratu digniſſimæ ſunt) orbatum, nunc ad ſuum dolorem leniẽdum, talem abbatem, qui D. Philippi Hoſdenij virtutẽ atq; laudem vel ſuperaturus, vel certè ęquaturus ſperetur, ſit nactum.

TOTI quoq; noſtræ Gertrudanæ parœciæ gratulor, quod eum nacta ſit ſupremum paſtorẽ, qui Heluordienſium paſtoratu per ſex annos rectè laudabiliterque adminiſtrãdo, maxima dedit ſuæ in parœcia gubernanda dexteritatis, atq; prudentiæ documenta.

PAVPERIBVS quoque & calamitoſis omnibus eſt cur gratulari debeam: horum enim te benignum parentẽ atq; patronum fore, in eorumq; ærumnis & calamitatibus conſolandis atque ſubleuandis domini Philippi Hoſdenij anteceſſoris tui (qui hac ex re & apud Deum & apud homines ſummam conſecutus eſt laudem) veſtigia ſequuturum eſſe, me aliiſque parœciæ optimatibus quum tibi hunc gratularemur honorem, & vt

felix faustúsque parœciæ, totique Christianæ reipub. esset precaremur, præsentibus & audientibus, spopondisti.

HVC accedebat, quod hoc opusculum in vestro cœnobio primum, dum idē argumentum apud vos disputarem, esset meditatum; & quod vestri cœnobij religiosis adolescentibus, pastoratu aliquādo functuris, vtilissimum fore, videretur.

CVPIEBAM denique nostræ amicitię iam inde à tua pueritia, dum ante annos triginta prima grāmatices rudimenta in florentissimo apud Louanienses Castrensi gymnasio me præceptore vna cum domino Carolo fratre tuo, nunc Parcensi abbate præstantissimo disceres, inchoatæ, & ab eo tēpore semper continuatæ, manifestum sempiternumq; extare monumentum.

HAS ergo aliasq; ob caussas plurimas, quas studio breuitatis prætereo, istam tibi dicatam, ornatissime præsul, lucubratiunculam, (perexiguam quidem, si in ea quod nostrum est, tantummodo spectetur; amplissimā verò & longè maximam, si doctrinæ in ea inclusæ, quam à B. Thoma sumus mutuati, pretiosissimus incōparabilísque thesaurus consideretur) &

certè ab animo, tum vestrę, tum vniuersi vestri cœnobij dignitatis, laudis atq; vtilitatis studiosissimo profectam, pro tui pectoris mihi à tot annis probè perspecti candore, ac consueta & ab omnibus prædicata humanitate, ęqui boniq́ue consulere: meq; inter sincerissimos eius honoris, qui tibi paucis ab hinc diebus, Diuina prouidentia ita disponente, tuisq́ue meritis suffragantibus obtigit, fautores habere digneris.

DEVS Opt. Max. sua gratia in te largiter effundenda faxit, vt maximæ præclarissimæq́ue omnium bonorum de te expectationi, tum sapiente Gertrudani cœnobij moderatione, tum religiosa & sancta institutione vitæ, vniuersiq́ue tui muneris laudabili functione cumulatè satisfacias. Vale. Dat. Louanij anno Domini. 1569. Kalendis Octobribus.

Christo-

CHRISTOPHORVS PLANTINVS LECTORI S. D.

QVANDOQVIDEM ita natura cõparatum est humanum ingenium, beneuole lector, vt de rebus nouis et superficietenus ac nomine tantum sibi cognitis, neque æquam existimationem, & qualem eiusmodi res merentur, concipere, neque veram et cordato viro dignam de iis sententiam ferre queat: non inutile, neque ingratum tibi fore sum arbitratus, si istius libelli ex nostra officina, doctissimo Theologo, ac Regio sententiarum Theologicarum apud Louanienses professore D. Augustino Hunnæo auctore, nunc primum in lucem prodeuntis, commoda aliquot, ex multis, prolixitatis vitandæ caussa omissis, breuiter hic commemorarem; ad quæ respiciens, & prudentius tuum de ipso libello iudicium moderari, & eius vsu statim ab initio conspecto, an tibi vtilis esset, facilius statuere posses.

1 VT igitur ad rem veniam, Theologicæ disciplinæ partem vnam, eamque vel præcipuam, & Sacerdotibus, omnibusque pietatis Christianæ studiosis, cognitu maximè necessariam, in

doctri-

doctrina ad Sacramenta pertinente positam esse, nemo est, (vt mea quidem fert opinio) qui non fateatur.

Hanc partem ita breuiter atque dilucidè, & (si nudam tantum veritatis cognitionem requiras) ita plenè atque perfectè, taliq́ue ordine, hic libellus complectitur, vt nullum neque compendium, neque aliud quodquam scripti genus, vnde istius Theologiæ partis notitiam faciliùs & vberiùs, cum pari breuitate, Christianæ pietatis studiosus discere posset, extare putem.

Itaque vt claritatis, doctrinæ vtilitatis, concinnæq́ue dispositionis nomine omnibus Theologiæ studiosis est vtilissimus: ita & breuitatis caussa (quippe in quo omni probationum, obiectionum, dissolutionum, & aliorum cuiuslibet generis non necessariorum verborum prolixitate amputata, pura & nuda B. Thomæ de Sacramentis sententia atque doctrina fideliter exponitur) illorum vsibus, qui variis distenti negotiis, exiguam temporis portionem, huic studio impertiri possunt, eum longè accommodatissimum esse, vel me tacente res ipsa loquitur.

DEINDE quod parui faciendum non est, 2
locos communes de Sacramentis ordine conuenientissimo digestos, ad quos quicquid apud alios Ecclesiasticos scriptores de hac eadem materia scitu dignum, & memorabile notaueris, facilli-

mè, &

mè, & cum maxima tuorum ſtudiorum vtilitate atque promotione referre queas, hic libellus ſubminiſtrat.

3 ISTA quoq; huius libelli neque parua, neq; contemnenda commoditas nobis videtur, quod quæ vel apud B. Thomā, vel apud quēuis alium orthodoxum ſcriptorem, fusè de Sacramentis diſſerentem, Chriſtianæ pietatis ſtudioſus legerit, ea hic breuiter et ſummatim repetere, illorumq́; memoriam renouare, atque confirmare poſsit.

4 NEQVE ad diſcentium tantummodò, verumetiam ad docentium atque diſputantium vtilitatem accommodatus eſt hic libellus.

Quum enim & à docentibus in auctore quem prælegendum ſumunt & diſputantibus in theſibus, quas defendēdas ſuſcipiunt, nō verborum prolixitas, ſed rerum ſententiarumq́ue vbertas, non rationum moles & argumentationum ambages, ſed diſtinctæ, claræ, atque certæ de rebus ſingulis aſſertiones quærantur, non poteſt (mea quidē ſententia) non vtiliſsimus ipſis eſſe is liber, in quo de omnibus difficultatibus, in Sacramētorum Doctrinam incidentibus quid B. Thomas, ſummæ in eccleſia catholica auctoritatis doctor, ſenſerit, memoriæq́; prodiderit, pauciſſimis atque breuiſsimis Axiomatibus, & verbis clariſsimis, appoſitiſsimis minimæq́ue barbaris, fideliter eſt comprehenſum.

Cætera

CÆTERA *huius libelli commoda, licet neque pauca, neque parua sint; prætermittenda tamen duxi, tum quod te, ipso libello legendo eorum fructum decerpere potius, quàm meis verbis fidem adhibendo, magnificam de ipso libello opinionem concipere vellem, tum etiam ne diffusè & accurate, ea quæ minimo negotio cognosci poßunt persequendo, vel tuæ diligentiæ vel iudicio tuo diffidere videar.*

VALE; *& nostros in iuuanda re literaria, catholicæque Religionis doctrina pro nostra virili portione propaganda pios conatus, ac maximos incredibilesque labores & sumptus, tuo saltem fauore atque beneuolentia prosequere. Antuerpiæ pridie Nonas Nouembres. Anno Domini.* M. D. LXIX.

Augu-

AVGVSTINI HVNNÆI DE SACRAMENTIS AXIOMATA;

Vniuersam B. Thomæ Aquinatis in tertia suæ Summæ parte, de septem Ecclesię Sacramentis doctrinam, in nonaginta nouem locos communes distributam, breuiter & dilucidè complectentia.

ADIECTIS,

In versiculorum interuallis, ad Marginem, numeris, sibi mutuò respondentibus, qui quoto cuiusque quæstionis articulo, idem apud Thomam dicatur, ostendunt.

DE SACRAMENTIS IN GENERE.

De Sacramentis in genere hæc apud Thomã, & in sequentibus axiomatibus explicantur.

- *Sacramenti in genere natura & propria ratio.*
- *Sacramentorum.*
  - *Necessitas.*
  - *Effectus.*
    - *Primarius, qui est gratia, in omnibus Sacramentis.*
    - *Secundarius, qui est character, in tribus tantum Sacramentis.*
  - *Caussa, seu, auctor & minister.*
  - *Numerus.*

Axioma

Ex tertiæ partis quæstione sexagesima, quæ in octo partes distributa hoc primo axiomate, tota breuiter continetur.

SACRAMENTI IN GENERE NATVRA ET PROARIA RATIO.

AXIOMA I.

SACRAMENTVM est rei [2] sacræ, 2
quæ homini sanctitatem affert, [4] sensui 4
expositum [1] signũ, [3] quod & Christi me- 1
moriam renouat,& futuræ beatitudinis 3
gloriam prænuntiat. [5] Atqui vt in singu- 5
lis Sacramentis, certæ & definitæ res si-
gnificantes, materiæ loco sunt adhiben- 6
dæ, [6] & [7] ita certa definitaq; verba, quæ 7
formæ locum teneant, istis rebus acce-
dere debent, [8] neque illis quicquam ad- 8
dere aut subtrahere licet, per quod legi-
timæ formæ sensus euertatur.

Summa quæst. 61. quadrifariã apud B. Thomã distributæ.

SACRAMENTORVM NECESSITAS.

AXIOMA II.

[2] DVRANTE quidem innocẽtiæ sta- 2
tu, nullis vel ad sanandam, vel ad perfi-
ciendam suam naturam egebat homo
sacramentis. At post illum optabilem
statum culpa primi parentis amissum, sa-
cramẽta hominibus necessaria esse cœ-
perunt, [3] ijs quidem qui Christi aduen- 3
tum antecesserunt, ad suam de Christo
nascituro & passuro fidem profitendam:
[4] ijs verò qui postea fuerunt, ad suam de 4
Christo iam nato & passo fidem testifi-
candam, & [1] vtrisque ad æternam animi 1
salutem consequendam.

Axioma

AXIOMA III.

Summa quæst. 62. in sex partes distributæ.

SACRAMENTORVM EFFECTVS PRINCIPALIS QVI EST GRATIA.

1 [1]NOVÆ legis Sacramenta, nonqui-
dem vt caussæ principales, sed vt instru-
4 menta diuinæ misericordiæ, [4]vi sua ex
5 Christi [5]passione accepta, gratiam talem
2 conferunt, [2]per quam vltra dona, & vir-
tutes, quoddam diuinum auxilium, ad
faciliùs Sacraméti finem cõsequendum
3 accedit: Vnde perspicuum est [3]gratiam
in sacramento, vt rem in suo signo, & vt
6 effectum in instruméto, continere. [6]Cæ-
terum veteris legis Sacramenta salutaris
quidem fidei in Christum symbola quæ-
dam erant, at gratiæ conferendæ nullam
vim nullamque efficacitatem penitus
habebant.

AXIOMA IIII.

Summa quæst. 63 in sex partes, vt superior, diuisæ.

SACRAMENTORVM QVORVNDAM EFFECTVS SECVNDARIVS, qui est CHARACTER.

1 [1]PER [6]nouæ legis tria Sacramenta,
6 Baptismum, Confirmationem & Ordi-
nem, suscipientium animis spiritalis
2 quidam character imprimitur, [2]qui nihil
3 aliud est, nisi facultas quædam [3]spiritalis
à Deo ad diuinum cultum rite peragen-
4 dum, animæ parti intelligenti, vt [4]suo
5 subiecto inhærens, quæ [5]nullo vnquam
tempore deleri aut obliterari potest.

AXIOMA V.

Summa q. 64. quæ in decẽ quæstiones à B. Thoma distributa est

*Q VEMADMODVM Sacramẽto- 2
rum auctor & institutor est Deus, [1] ita 1
quoque interni eorum effectus primaria
& principalis est caussa, homo verò tan-
tummodò minister. [3] Itaque Christus vt 3
Deus quidem sua auctoritate internum
Sacramenti effectum, vt homo autem
meritis operatur, ministerijque (princi-
palis tamen & longè excellentissimi) po-
testatem habet. [4] Hinc tametsi Christus 4
potestatem quam in Sacramẽtis, vt ho-
mo obtinebat, cum alio homine com-
municare potuerit, auctoritatem tamen
quam in iisdem, vt Deus habebat, nemi-
ni mortalium, non magis quàm suam
ipsius diuinitatem impertiri potuit. De
Sacramẽtorum autem ministris ita sen-
tit atque docet Catholica Christi Eccle-
sia, [6] improbos peccare quidẽ ministran- 6
do Sacramenta, [5] ipsa verò Sacramenta 5
ministrorum peruersitate, neque pollui
neq; impediri: [7] licet angelis à Deo con- 7
cedi potuerit, non tamẽ concessam esse,
sed hominibus duntaxat Sacramentorũ
dispensationem: in Sacramentorum mi- 9
nistris [9] non fidem, sed [8] rectam intentio- 8
nem esse necessariã, [10] non tamen quam- 10
libet

SACRAMENTORVM, CAVSSA, *seu* AVCTOR & MINISTER.

libet, ſed eam duntaxat quæ directè reſpicit ipſum Sacramentum.

AXIOMA V.

Summa q. 65. quadrifariam diſtributæ.

1 [1]Septem ſunt Eccleſiæ Sacramẽta,
2 [2]hunc inter ſe ordinem habentia, vt Baptiſmum primum locum tenẽtem Confirmatio, Confirmationem Euchariſtia, Euchariſtiam Pœnitentia, Pœnitentiam Extrema vnctio, Extremam vnctionem Ordo, Ordinem verò Matrimonium ſequatur.
4 [4]Quæ quidem Sacramenta licet ad hominis ſalutem promouendam, omnia plurimum habeant momenti; tria tamen duntaxat ad eam ſunt neceſſaria, nimirum Baptiſmus omnibus, Ordo eccleſiæ, & Pœnitentia iis qui poſt ſuſceptũ baptiſmum aliquo ſcelere ſeſe polluerunt. [3]Cæterum quanquam ordine quodam naturali tertius inter Sacramẽta locus Euchariſtiæ tributus ſit, dignitate tamen & maieſtate reliquis omnibus longè antecellit.

SACRAMENTORVM NVMERVS.

DE BAPTISMO.

Ad cuius explicationem
- prius de ipso baptismo ista quatuor tractantur.
  - De natura & propria ratione baptismi
  - Quis sit idoneus baptismi minister
  - De suscipientibus baptismum.
  - De effectu baptismi.
- Deinde, de iis quæ præparationẽ ad baptismum cõtinent dicitur: videlicet.
  - De Circuncisione.
  - De Catechismo & exorcismo.

Summa q. 66. in duodecim partes distributæ.

AXIOMA VII.

[1]ABLVTIO quę fit per aquam acce- 1
dentibus verbis præscriptis, propriè est
Baptismus, [9] ex eorum numero Sacra- 9
mentorum quæ iterationem nõ patiun-
tur, [2]& in Christi baptismo, quantum, ad 2
suam vim & Sacramenti nomen atti-
net; quantum verò pertinet ad necessa-
rium eius vsum, post Christi mortem
& resurrectionem institutus. [3]Cuius ma 3
teria est aqua, [4]etiam mutationem aut 4
mixtionem passa, modò aquæ nomen &
speciem retineat; [5]forma verò ista: Ego 5
te baptizo in nomine Patris, & Filij, &
Spiritus sancti. [6]Quapropter non esset 6
baptismus, qui sine peculiari Dei con-
cessu

BAPTISMI NATVRA ET PROPRIA RATIO.

cessu in nomine Christi conferretur.
Cæterum de mersione istud tenendum,
8 quamuis [8] nec trina, nec [7] vnica mersio
7 ad baptismum sit necessaria, imò affusio
vel aspersio aquæ ad baptismi veritatem
sufficiat, trinam tamen mersionem, nisi
aut scandali, aut hæreticorum moris vitandi caussa, sine graui peccato omitti
non posse. Est enim conueniens iste ritus,
10 [10] quemadmodum & cæteri quibus
in hoc sacramento vti consueuit Ecclesia.
11 [11] At de tribus baptismorum generibus, quæ sunt aquæ, sanguinis & flaminis
baptismus, ita sentit ecclesia; vt primo
effectum baptismi cum nomine sacramenti, cæteris verò duobus effectum tantummodò,
12 [12] eumque sanguinis baptismo excellentissimum perfectissimumque
tribuat.

AXIOMA VIII.

Summa q. 67. in octo quæst. distributa.

2 [2] TAMETSI proprius & ordinarius
1 baptismi minister, [1] non diaconus, sed sacerdos sit, in sacerdotis tamen absentia
3 non modò diacono & clerico cuiuis, sed
4 etiam [3] laico & [4] mulieri, & quod amplius est,
5 non [5] baptizato, necessitate vrgente baptizandi potestas conceditur:

peccarēt nihilominus ſinguli iſtorum, ſi
aut extra neceſſitatem, aut alio qui ad di-
gnitatem ſacerdotalem propiùs accede-
ret, præſente, baptizãdi partes temerè in-
uaderent. [6] Duo quoq; ſimul, modò vſi- 6
BAPTISMI MINISTER.
tatam in Eccleſia formam vterq; ſeruet,
vnum eundemq́ue hominem baptizare
poſſunt. Si verò ſuis perſonis formam ac-
commodantes, pro, Ego te baptizo, dixe-
rint. Nos te baptizamus, veriſimile eſt va
num & irritum illorum conatum fore.
De ſuſceptoribus verò, iſtud tenendum,
[7] ſuſceptorem aliquẽ velut Pædagogum 7
eius qui baptizatur adhiberi oportere,
non propter Sacramenti neceſſitatẽ, ſed
propter ſalutis baptizandi curam maio-
rem: [8] ad munus enim ſuſceptoris perti- 8
net, ſi baptizati parentes ſuo non fungan
tur officio, eniti vt baptizatus Catholica
ſanaq́ue fide, & ſanctis Chriſtianiſq́ue
moribus imbuatur.

Summa q. 68. in duodecim quæſtiones diuiſa.

AXIOMA IX.

[1] OMNIBVS in vniuerſum baptiſmus, 1
vel qui reipſa, vel ſaltem qui [2] propoſito 2
ſuſcipitur, eſt ad ſalutem neceſſarius, & 9
in [9] paruulis nunquam, in [3] adultis verò 3
ferè

ferè ſemper eſt differendus, [5]habetq; ex afflictionibus & morte Chriſti vim tantam ad eradendas peccatorũ, quæ inuenit, maculas, vt nulli baptizato ſatisfactionis nomine quicquam ſit præſcribẽdum.

BAPTISMVM SVSCIPIENTES.

4 [4]Peccatores tamẽ quos delictorum ſuorum pœnitet, non quos veſana libido peccandi adhuc tenet, ſunt ad hoc Sacramẽ-
6 tum recipiendi. Licet enim hic [6]externa peccatorum confeſſio non requiratur; interna tamẽ quæ Deo fit, & peruerſæ vitæ prioris abominatio ad huius Sacramenti
7 fructũ percipiendum: [7]intentio verò baptiſmi accipiẽdi adultis etiam ad chara-
8 cterem ſuſcipiendum eſt neceſſaria; [8]poteſt nihilominus ſine recta fide quiſpiam baptiſmi characterẽ ſuſcipere, nõ autem gratiam aut fructum eius percipere. Et licet ſine mora paruulis (vt antè diximus) hoc Sacramentum impertiendum
10 ſit, [10]non ſunt tamen baptizandi aut Iudæorum aut aliorum infidelium liberi ratione nondum vtentes parentibus
12 inuitis, [12]neque amentes aut furioſi niſi vel à natiuitate ſemper eo vitio laborarint, vel ante ſuam amentiam, baptiſmum ſe deſiderare ſignificarint.
11 [11]Eos verò qui in vtero materno adhuc

inclusi tenentur, cùm ablui nequeant, clarũ est nec baptizari vllo modo posse.

Summa q. 69. in 10. partes distributa.

AXIOMA X.

[1]BAPTISMVS omnium quæ inue- 1
nit, peccatorum maculas abluit, & [2]cul- 2
pam simul cum pœna tollens, [4]gratia ac 4
virtutibus decorat [6]non minùs infantes 6
quàm adultos, [5]mentem illustrat, Chri- 5
sti corpori hominem inserit, & quasi fœ-
cundum ad proferendas sanctas actiones
BAPTISMI EFFECTVS.
reddit: [7]Regni quoque cælestis ianuam 7
patefacit. [3]Molestias tamen, cruciatus 3
& dolores vitæ præsentis ob multas cau-
sas non aufert. [8]Porrò licet omnes eo- 8
dem modo affecti proprium & ordina-
rium baptismi effectum æqualiter parti-
cipent, in eo tamen quod vltra baptismi
institutionem diuina bonitas elargitur,
magna est varietas, etiam si paria sint ba-
ptizatorum merita. [9]Istud quoque cer- 9
tum est, quemadmodum mentis synce-
ritas & integritas ad baptismi salutares
effectus percipiendos necessariæ sint, ita
fictione & peruersitate eosdem effectus
impediri & prohiberi. [10]Nihilominus 10
tamen his impedimentis postea sublatis
baptismus antè susceptus proprios nati-
uosq; gratię & virtutum effectus, non se-

cùs

cùs quàm ſi nullum fuiſſet impedimentum, ſortitur.

AXIOMA XI.

Summa q. 70. quadrifariam diuiſa

1 [1]FIGVRA & præparatio quædam
2 futuri baptiſmi erat Circunciſio, [2]quæ quùm fidei Chriſti confeſſionem contineret, rectè in Abrahamo, qui primus de Chriſto naſcituro promiſſionẽ accepit,
3 fuit inſtituta, [3]adiunctis ei ritibus conuenientiſſimis, vt qui ab illo cuius ſapiẽtiæ nullus eſt finis, fuerant dictati atque præ
4 ſcripti. [4]Peccati verò originis condonatio, aliæq; gratiæ quæ in Circunciſione Iudæis contingere ſolebant, non ad Circunciſionis propriam vim, ſed ad fidem de futura Chriſti paſſione atque morte referri debent.

CIRCVNCISIO.

AXIOMA XII.

Summa q. 71. quadrifariam, vt ſuperior, diſtributa.

1 [1]BAPTISMVM Catechiſmus quo
2 doctrina fidei tradatur, [2]Catechiſmum
3 verò exorciſmus, [3]quo maligni ſpiritus expellantur, ſenſuſq; ad ſalutis myſteria percipienda aperiantur, antecedere debet; ac vterque tam catechiſmus quàm
4 exorciſmus ad [4]officium pertinet ſacerdotis, qui tamen in catechiſmo tradẽdo, lectoris, in exorciſmis verò peragẽdis exorciſtæ vtitur miniſterio.

CATECHISMVS ET EXORCISMVS.

DE CONFIRMATIONIS SACRAMENTO.

AXIOMA XIII.

Summa q. 72. in duodecim partes diuiſa.

[1]CONFIRMATIO rectè inter ſeptem 1
Sacramenta numeratur, quippe quę cha- 5
[5]racterem vt baptiſmus, imprimit, [7]& gra 7
tiam vt cætera omnia Sacramenta, im-
pertitur, ob idq; [8] nemini idoneo eſt ne- 8
ganda, [11]neq; ab alio quàm ab Epiſcopo 11
adminiſtranda. [2]Huius conueniens ma- 2
teria eſt chriſma ab [3]Epiſcopo conſecra- 3
tum: [4]forma verò iſta; Conſigno te ſigno 4
crucis, & confirmo te chriſmate ſalutis in
nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.

CONFIRMATIONIS SACRAMENTVM

[9]Locus autem in quo adhiberi debet, eſt 9
frons, metus & verecundiæ ſedes. [12]Qui 12
quidem ritus, & cæteri omnes qui in hoc
Sacramento fiunt, admodum ſunt con-
uenientes. [6]Et licet nemo niſi baptizatus 6
ad Cõfirmationem ſuſcipiẽdam ſit ido-
neus, [10]in Confirmatione tamẽ vt in Ba- 10
ptiſmo, adeſſe oportet qui confirmatum
erudiendi partes ſuſcipiat, nõ primis illis
Chriſtianæ fidei rudimentis, ſed iis arti-
bus quibus in Chriſtiana & ſpiritali mi-
litia ad vincendum eſt opus.

DE EVCHARISTIA IN GENERE.

Ad Eucharistiæ explicationẽ ista octo tractantur, videlicet de

- Ipso Sacramento Eucharistiæ.
- Materia eius
  - Specie materiæ.
  - Transsubstantiatione panis & vini in corpus & sanguinem Christi.
  - Modo quo existit Christus in hoc Sacramento.
  - Accidẽtibus panis & vini.
- Formaeiusdẽ
- Effectibus.
- Accipientibus Eucharistiam.
- Modo quo Christus vsus est Eucharistiæ Sacramento.
- Idoneo Eucharistiæ ministro.
- Ritu qui debet in isto Sacramẽto seruari.

AXIOMA XIIII.

Summa quæst. 73. in sex partes distributa.

4 EVCHARISTIA tametsi ob [4]va-
rias significationes quas in se continet,
6 multis nominibus rectè appelletur, [6]va-
riisq; figuris (inter quas præcipua fuit
agni paschalis immolatio) propter mul-
ta quæ complectitur, fuit adumbrata,
2 [2]vnicum tamen est [1]Sacramentum, [5]mul
1 tis grauissimisque de caussis à Christo in
5 vltima cœna institutum, [3]& homini non
3 quidem simpliciter, sed ex parte rei dun-
taxat ad salutem necessarium.

EVCHARISTIAE SACRAMENTVM.

Axioma

Summa q. 74. in octo partes diuisa.

EVCHARISTIAE MATERIA.

AXIOMA XV.

[1]EVCHARISTIÆ Sacramenti le- 1
gitima materia est panis [3]triticeus, siue 3
[4]azymus sit siue fermentatus, [5]& vinum 4
ex vuis expressum, cui dum [6]offertur, 5
[8]pauxillũ aquæ, [7]non propter Sacramen- 6
ti necessitatẽ, sed ad populi fidelis cum 8
Christo vnionem significandam, admis- 7
ceri debet. [2]Quorum quantitas vsu, & 2
eorum fidelium qui hoc Sacramentum
percepturi sunt numero metienda est, at-
que definienda.

Summa q. 75. in octo partes diuisa.

TRANSSVBSTANTIATIO.

AXIOMA XVI.

IN Eucharistiæ Sacramento ita panis
[1]in verum Christi corpus, & vinum in ve 1
rum eius sanguinem puncto [7] temporis 7
[4] [3]conuertuntur, vt post cõsecrationem 4
solis accidentibus remanentibus, [2] [6]nihil 3
de illorum substantia relinquatur. Vnde 5
[8]liquet hoc pronuntiatum, Ex pane fit 2
Christi corpus, etiam sermonis proprie- 6
tate retenta, veritati esse consentaneum. 8

Summa q. 76. in octo partes, vt superior, distributæ.

AXIOMA XVII.

IN Eucharistiæ Sacramento non mo-
dò sub [1.2]vtraque specie & panis & vini, 1
sed [3]etiam sub vtriusque speciei qualibet 2
parte, 3

parte; ſiue fracta, ſiue integra ſit hoſtia;
4 totus Chriſtus cum [4]omnibus ſui corpo-
5 ris dimẽſionibus exiſtit. [5]Non tamẽ con-
tinetur Chriſti corpus in hoc Sacramẽto
vt quãtitas dimetiens in loco, ſed vt ſub-
6 ſtantia ſub dimetiente, quãtitate [6]neque
per ſe, ſed per accidens duntaxat, ad mo-
tum hoſtiæ de loco in locum trãsfertur:
7 [7]nullo quoque ſenſu corporis, imò ne
imaginatione quidem, (vt eſt in hoc Sa-
cramento) ſed mente duntaxat percipi
8 poteſt. [8]Quando verò per miraculum
vel caro vel puer poſt conſecrationem in
hoc Sacramento conſpicitur, cùm id re-
manentibus hoſtiæ dimentionibus, &
mutatione tantùm circa colorem & fi-
guram, aut imaginationem vidẽtis facta,
contingat, credendum veritatem corpo-
ris Chriſti etiam ſub eiuſmodi acciden-
tibus eſſe.

MODVS QVO CHRISTVS EST IN EVCHARISTIA.

AXIOMA XVIII.

Summa q. 77. in octo partes diuiſa.

IN Euchariſtiæ Sacramento poſt ſtu-
pendam ſubſtantiæ panis & vini in cor-
pus dominicum conuerſionem, per mi-
1 raculum [1]quantitas dimetiens, in qua
2 [2]cætera accidentia inhærent, non modò
incolumis ſine ſubiecto manet, ſed etiam
proprietatem & munus materiæ nanci-
ſcitur.

PANIS ET VINI ACCIDENTIA IN EVCHARISTIA.

ſcitur. Quapropter & [5]generari & [6]nutriri 5
aliquid ex ea poteſt. [3]Quod autẽ externũ 6
[4]corpus immutet, & quòd [7] frangi atque 3
corrumpi cũ cęteris accidentibus queat, 7
id ex propria eius natura citra miraculũ 4
accidit. Iſtud verò ſciendum Chriſti cor-
pus ſub iſtis accidentibus quando immu
tantur tamdiu remanere, quandiu panis
aut vini ſubſtantia eadem numero per-
manſiſſet. [8]Itaq; ſi in vinum cõſecratum 8
aliquantulum alieni liquoris infundatur
(modò vniuerſalis commixtio non fiat)
ſub parte cõmixta quidem eſſe deſinet,
at ſub aliis partibus mixtionis experti-
bus remanebit verus Chriſti ſanguis.

Summa quæſt. 78. in ſex partes diuiſæ

AXIOMA XIX.

[1]LEGITIMA & conueniens Sacra- 1
mẽti Euchariſtię forma eſt, [2]in pane qui- 2
dem conſecrando iſta, Hoc eſt corpus
meum: [3]In vino autem tranſmutando ea 3
quæ ſequitur: Hic eſt calix ſanguinis mei
noui & ęterni Teſtamenti, myſterium fi-
dei, qui pro vobis & pro multis effunde-
tur in remiſſionem peccatorum. Qua-
rum formarum verba cùm [5] veriſſima 5
ſunt, [4] tum in admirabili panis & vini in 4
corpus Dominicum efficienda conuer-

EVCHARISTIAE FORMA.

sione per vim creatam sibi insitam diui-
6 næ potentiæ sunt instrumenta. [6]Quare
palàm est, cõsercrationis panis effectum,
vini consecrationis effectu tempore esse
priorem.

AXIOMA XX.

Summa q. 79. in octo quæst. diuisa.

1 [1]EVCHARISTIÆ Sacramẽtum,&
2 in præsens gratiá impertitur, & ad [2]æter-
nam gloriam in posterum consequẽdam
3 plurimũ valet. [3]Licet enim lethalia pec-
cata quæ hominem scientem & volẽtem
4 obstrictum adhuc tenent,non tollat, [4]ve-
nialia tamen sola inuenta, & ea lethalia
quæ memoria exciderunt, ex animo de-
5 let atque abluit. [5]Præterea de pœna post
culpá dimissam relicta tantũ adimit,quã-
tus est vel offerentis vel accipientis hoc
6 Sacramentũ,charitatis affectus. [6]Pręmu-
nit etiam hominẽ, dignè ipsum accipien
tem, veluti salutare quoddá pharmacum
aduersus peccatorum semper impẽdens
7 periculũ. [7]Nec sumentibus modò,sed iis
8 etiam pro quibus offertur prodest. [8]Neq;
venialia peccata iá præterita vim eius im
pediunt, neq; etiam præsentia, nisi ex ea
parte dũtaxat qua annuũ ab omnis vitij
labe purum,spiritalis suauitatis iucundi-
tate hoc Sacramẽtum perfundere solet.

EVCHARISTIAE EFFECTVS.

Axio-

Summa q. 80. in duodecim partes diuiſæ.

AXIOMA XXI.

[1]Ex duplici Sacramenti Euchariſtiæ 1
ſumendi ratione, quarum altera ſacra-
mentalis eſt, altera ſpiritalis, [2]ea quæ ſpi- 2
ritalis dicitur, & homini iuſto propria eſt,
EVCHARISTIAE SVMPTIO.
& [11]adulto ad ſalutem neceſſaria. De ſa- 11
cramentali verò ſumendi ratione hæc
tenenda ſunt: [3]non ſolùm iuſtos, ſed etiã 3
peccatores iſtius ſumptionis eſſe partici-
pes, [4]qui in ea graue quidem, [5]non tamẽ 4
omnium grauiſſimum committunt pec- 5
catum. [6]Publico peccatori etiam petẽti, 6
non autem ei cuius peccatum ſit occul-
tum, à ſacerdote Euchariſtiam eſſe dene-
gandam: [7]eum qui Euchariſtiam accipit 7
nocturna pollutione antegreſſa, peccare,
grauiter quidem ſi eiuſmodi pollutio ex
culpa lethali acciderit, leuiter verò ſi
aliunde ſit profecta, & neque perpe-
tua ſit, neque diuturna: [8]Ante omnem 8
cibum & potum, (niſi mortis, propter
morbi grauitatẽ, periculum timeretur)
ſumendam eſſe Euchariſtiam: [9]Ex illis 9
qui mente capti ſunt, iis duntaxat Eucha
riſtiam dandam eſſe qui de vita pericli-
tantur, & antè, voluntatis huius Sacra-
menti accipiendi aliquod ſignum dede-
rint: [10]Poſt debitam & ſufficientem ani- 10
mi præ-

mi præparationem rectè ſumi iſtud Sacramẽtum, ſiue quotidie id fiat, ſiue poſt longius interiectum temporis interual-
12 lum; [12]Laudandam eſſe illarum Eccleſiarum conſuetudinem, quæ hoc Sacramentum, ſacerdotibus quidem ſub vtraque ſpecie accipere iubent: reliquo autẽ populo ſub panis tantummodo ſpecie, propter effuſionis periculum, impertiuntur.

AXIOMA XXII.

Summa q. 81. quadrifariam diuiſa.

3 CHRISTVS corpus ſuum [3]læſioni-
1 bus & morti adhuc obnoxium, & [1]ipſe
2 ſumpſit, & diſcipulis ſuis [2]vna cum Iuda
4 ſumendum obtulit. [4]Quoniã verò quod Chriſto ſine reſpectu ad externa conuenit, idem ipſi ſub iſtius Sacramenti velamine exiſtenti conuenire rectè creditur, conſequens eſt ſi quis Euchariſtiam tempore mortis Chriſti in aliquo loco ſeruaſſet, non minùs in eo quàm in cruce Chriſtum fuiſſe moriturum.

EVCHARISTIA QVOMODO VSVS SIT CHRISTVS.

AXIOMA XXIII.

Summa q. 82. in 10. quæſt. diuiſa.

1 [1]SACRAMENTI Euchariſtiæ conſecratio ita ſacerdotis eſt propria, vt per
2 alium confici non poſſit. [2]Plures quoque ſacerdotes quorũ intentio ad vnum temporis

poris punctum referatur, vnam eandemque hostiam consecrare possent. [10] Om- 10
nisque sacerdos aliquando rem diuinam
facere, & [4] post consecrationem Euchari- 4
stiam ipse sumere debet. Nec modò pro-
bus sacerdos, sed etiam [5] improbus, [7] schis- 5
maticus, anathemate damnatus, hæreti- 7
cus, imò etiã [8] degradatus corporis & san- 8
guinis dominici consecrandi potestatem
habet: [9] qua tamen quatuor posteriores 9
nec ipsi vti, nec alij ipsis vtentibus adesse
sine peccato possunt. Improbi verò sacer-
dotes ipsi quidem rem diuinam facien-
do peccant, cæterùm alij ipsam audien-
do, vel Sacramenta ab ipsis percipiendo
in nullam incurrũt culpam, modò eius-
modi sacerdotibus suæ potestatis per au-
ctoritatem Ecclesię non sit adempta exe-
cutio. [6] Proborum tamen sacerdotum 6
missæ, non quidem ratione consecratio-
nis, sed precum meritis, aliorum sacer-
dotum missis sunt præferendæ. [3] Distri- 3
butio autem istius Sacramenti sic ad mu
nus sacerdotis pertinet, vt etiam diacono
propter propinquitatem quã habet cum
dignitate sacerdotali, sanguinis distribu-
tio concedatur.

EVCHARISTIAE MINISTER.

Axioma

AXIOMA XXIIII.

Summa q. 83. in sex quæst. distributa.

2 [2]CELEBRATIONI missæ, (quæ
1 [1]Christi immolationis repręsentationem continet,) rectè tempus ab hora tertia vſque ad nonam, quo Chriſtus grauiſſima tormenta fuit paſſus, eſt cõſtitutum.

EVCHARISTIAE RITVS.

3 [3]Nec minus laudanda eſt ea conſtitutio, qua propter tanti Sacramenti reuerentiam cautum eſt, vt in domo conſecrata, cùm nulla vrget neceſſitas; aut vrgente neceſſitate, ſaltem ſuper altare conſecratum cum Epiſcopi conſenſu, adhibitis ſemper vaſis conſecratis, Hierourgiæ ſolennitas peragatur. Quapropter & hæc & reliqua omnia quæ in miſſarum cele-
4 bratione & [4]dicuntur & [5]fiunt, magno
5 & ſapienti conſilio ſunt inſtituta: in [6]qua
6 licet varia & multiplicia incommoda accidere ſoleant, omnibus tamen ſanctorũ & cordatorum Eccleſiæ antiſtitum prudentia occurri poteſt.

DE SACRAMENTO POENITENTIÆ.

Pœnitentię explicatio absoluitur declaratione sex istorum capitum, videlicet

- Pœnitentia ipsa
  - Quatenus est Sacramentum.
  - Quatenus est virtus.
- Effectu pœnitentiæ
  - In remittendis peccatis lethalibus.
  - Remittendis peccat.. venialibus.
  - De reditu peccatorum semel remissorum.
  - Quantũ ad recuperationẽ virtutum.
- Partibus Pœnitentię
  - In genere.
  - Speciatĩ
    - Cõtritione
      - Quid sit.
      - De quo esse debeat.
      - Quanta esse debeat
      - Quanto tẽpore durare debeat.
      - Effectu eius.
    - Confessione: de eius
      - Necessitate
      - Natura & definitione.
      - Ministro.
      - Qualitate.
      - Effectu.
      - Sigillo.
    - Satisfactione
      - Quid sit.
      - An fieri possit.
      - Qualis esse debeat.
      - Quibus rebus Deo satisfiat.
- Suscipientibus Pœnitentiæ Sacramentum.
- Ministrorũ potestate ad claues pertinente, vbi agitur de
  - Clauibꝰ, videlicet de
    - Propria vi & natura clauium.
    - Effectu earum.
    - Ministris clauium.
    - His in quibus recte claues exercentur.
  - Excommunicatione, videlicet de
    - Eius propria vi & natura.
    - Excommunicante & excommunicato.
    - Communicatione cũ excommunicato.
    - Absolutione ab excommunicationis vinculo.
  - Indulgentiis
    - De propria earum vi & natura.
    - In quibus sit potestas eas elargiendi.
    - Quibus indulgentiæ prosint.
- Publica & solenni Pœnitentia.

AXIOMA XXV.

Summa q. 84. in decem partes diuisæ.

1 [1]POENITENTIA, qua ſecundum
catholicæ Eccleſiæ ritum ſacerdos tan-
quam Dei miniſter confitentes ſua pec-
cata, abſoluit, verum eſt Sacramentum,
7 [7]rectè & conuenienter in noua lege in-
2 ſtitutum. [2]Cuius materia eſt, propinqua
quidem, pœnitentis actus, remota autem
3 ipſa peccata: [3]forma verò iſta, Ego te ab-
ſoluo in nomine Patris, & Filij, & Spiri-
4 tus ſancti. [4]In qua pronuntianda, tametſi
rectè, non tamen neceſſariò manus impo
ſitio adhibetur. Atqui hoc Sacramentũ
5 non ſimpliciter homini, ſed [5] ei qui pec-
cauit, eſt ad ſalutem neceſſarium, ſaltem
ex ea parte qua interdum de commiſſo
8 peccato animi dolorem ([8] quẽ peccator
9 quamdiu viuit ſaltem[9] habitu continua-
6 re debet) comprehendit. Itaque [6]rectè ſe-
cunda poſt naufragium tabula iſtud Sa-
cramentum à ſacris doctoribus vocatur.
10 [10] Ad quam quidem tabulam non tantũ
ſemel, ſed quotieſcunque nouorum pec-
catorum fluctibus iactatur animus, Chri-
ſtiano confugere licet.

POENITENTIA VT EST SACRAMENTVM.

AXIOMA XXVI.

Summa q. 85. in ſex partes diuiſæ.

POENITENTIA ex ea parte qua re-

ctam continet rationem moderati dolo-
POENITENTIA VT EST VIRTVS.
ris ob peccatum commissum, quatenus
in eo Dei offensa est, suscepti, cum propo
sito vitæ emendandæ, [1]virtus est [2] specia- 1
lis, [3] iustitiæ vt suo generi subiecta, [6] fide 2
& spe secundum naturæ & temporis or- 3
dinem posterior. Charitatem verò natu- 6
ræ non temporis ordine sequens; [5]cuius 5
principium est timor tam seruilis quàm
ingenuus, [4] subiectũ verò pœnitentis vo- 4
luntas.

AXIOMA XXVII.

Summa q. 86. in sex partes vt superior, diuisæ.

[6]POENITENTIA & qua ratione est 6
virtus, & magis qua ratione Sacramentũ
dicitur, peccatum remittit. [1]Atque sicut 1
POENITENTIAE EFFECTVS IN PECCATIS LETHALIBVS DELENDIS.
nullum est tantum hominis scelus, quod
in præsenti seculo per Pœnitentiam de-
leri non possit, ita [2] nullum lethale pecca- 2
tum ab homine post vsum rationis per-
petratum, sine Pœnitentia, saltem ea quę
virtus, est remittitur: fieri [3] quoque non 3
potest vt vnũ peccatum sine aliis (si qua
sint alia in eodem homine) per Pœniten
tiam deleatur. [4] Remissa tamen per Pœ- 4
nitentiæ Sacramẽtum culpa lethali, vnà
cum æterna pœna illi debita, remanet
adhuc temporalis pœnæ soluendæ obli-

gatio,

5 gatio, [5]& nõnullæ prauæ ex ſuperiori pec cato contractæ diſpoſitiones.

AXIOMA XXVIII.

Summa q. 87. quadrifariam diuiſa.

1 Ad [1]peccati venialis remiſſionem Pœ-
2 nitentia aliqua ex parte, [2]non autem
3 nouæ gratiæ infuſio eſt neceſſaria. [3]Itaq; per ſolam aquæ luſtralis aſperſionem ex gratia proficiſcentem, peccata venialia, accedente eorum vel expreſſa, vel ſaltem
4 tacita deteſtatione, remittuntur. [4]Si tamen in aliquo homine cũ grauibus culpis venialia delicta coniuncta eſſent, horum ſine illis remiſſio non fieret.

POENITENTIAE EFFECTVS IN PECCATIS VENIALIBVS DELENDIS.

AXIOMA XXIX.

Summa q. 88. quadrifariam diuiſa.

1 [1]Peccatvm lethale ſemel Pœnitentia deletum, per ſequẽtem capitalem culpam redit quidem, verùm non omni ex parte, ſed ex ea dũtaxat qua priuationem diuinæ gratiæ, & ſupplicij æterni ſubeundi obligationem continebat.

2 [2]Quod tametſi de omni capitali noxa ſequente verè dicatur, ſpeciali tamen quodam modo locum habet in odio fraterno, apoſtaſia, confeſſionis contemptu, & dolore de Pœnitentia prius ſuſcepta. [3]Non eſt tamen iſtud ita accipiendum

PECCATORVM SEMEL REMISSORVM REDITVS.

quaſi obſequens crimen ſemper pari & æquali culpa atque pœna teneatur peccator quibus antè tenebatur, ſed vt pœna & culpa conſequentis criminis, generis ipſius, & ingratitudinis illi coniunctæ magnitudini reſpondeat. [4] Neque pu- 4
tandum eſt ingratitudinem ſequenti crimini connexam ſemper ſpeciale eſſe peccatum, ſed tunc demum quando ad Dei & beneficij ab eo accepti contemptum ſequens delictum refertur, aliàs ingratitudo iſta non ſpecialis alicuius perpetratio, ſed alterius eſt aggrauatio peccati.

Summa q. 89. in sex partes diuisa.

AXIOMA XXX.

[1] PRIVS amiſſæ & [4] quodammodo 1
extinctæ per peccatum virtutes, per Pœ- 4
nitentiæ Sacramẽtum poſtea reſtituuntur, interdum æquales, [2] interdum mino- 2
res, interdum etiam maiores pro diſpoſitione pœnitentis: [5] opera verò ipſarum ita 5
reuiuiſcunt, vt in eadem æſtimatione, qua antè, apud Deum habeantur. [3] Itaq; 3
licet innocentiæ ſtatus ſemel perditus nõ reparetur, & quędam eccleſiaſticæ dignitates ob certa facinora ſine ſpe recuperationis amittantur, poteſt nihilominus homo per Pœnitentiæ Sacramentum priſtinam

POENITENTIAE VIS AD RECVPERANDAS VIRTVTES PRIVS AMISSAS.

stinam apud Deum recuperare dignita-
6 tem. [6] Non tamen eousque extendenda est huius Sacramenti vis & operatio, vt etiam mortuas actiones (quæ ex suo quidem genere laudabiles sunt, sed ex charitatis fonte & gratiæ statu non promanarunt) viuas, & ad vitam æternam promerendam efficaces reddere possit.

AXIOMA XXXI.

Summa q. 90. quadrifariam diuisæ.

POENITENTIA qua ratione est Sa-
2 cramentum, ex [2] his [3] tribus constat [1] par-
3 tibus, Animi dolore seu Cõtritione, Cõ-
1 fessione atque Satisfactione: [4] Qua ratio-
4 ne autem est virtus, has duas species sibi subiectas habet, Pœnitentiam ante Baptismum, & Pœnitentiam post Baptismum, quæ vlteriùs in lethaliũ & leuium culparum Pœnitentiam distribuitur.

POENITENTIAE PARTES IN GENERE.

Quæ sequuntur, ex tertiæ partis Summæ, quam S. Thomas morte occupatus, imperfectam reliquit, supplemento sunt desumpta.

AXIOMA XXXII.

Summa q. prima supplementi, trifariam diuisa.

1 [1] CONTRITIO est dolor animi ob peccatum antè commissum susceptus,

CONTRITIONIS NATVRA ET PROPRIA RATIO.

cum propoſito confitendi atque ſatisfa-
ciendi; qui cùm ex [2] virtute & volunta- 2
te peccatum deteſtante naſcatur, [3]palàm 3
eſt falſam & abſurdam eſſe illorum opi-
nionem, qui putauerunt attritionem po-
ſtea contritionem fieri poſſe.

AXIOMA XXXIII.

Summa q. 2. in ſex partes diuiſæ.

CONTRITIONIS OBIECTVM.

[1]CONTRITIO nec pœnæ malum, 1
nec [2] originis peccatum, nec [5]alienum, 2
nec [4]futurum, ſed propriũ duntaxat, idq́; 5
præteritum reſpicit delictum, ita vt de 4
multis antè perpetratis culpis, tam [3] ve- 3
nialibus quàm [6]lethalibus, quę conueniẽ- 6
ti adhibita diligentia occurrunt, & de a-
liis quo tempore in memoriam redeunt,
peccator contritionem ſuſcipere debeat.

AXIOMA XXXIIII.

Summa quæſt. 3. trifariam diſtributæ.

CONTRITIO QVANTA ESSE DEBEAT.

[1]CONTRITIO in ſuperiore quidem 1
appetitu dolorem maiorẽ omnibus aliis
doloribus, in inferiore autem ſępenume-
ro remiſſiorem affert, [3]qui pro diuerſita- 3
te peccatorum nunc maior, nunc minor
eſſe debet. [2]Et licet in appetitu ſuperiore 2
ſeu voluntate nunquã ſit nimius, in appe-
titu tamen inferiori poſſet modum exce
dere; proinde ita in hac parte eſt moderã-
dus,

dus, vt & vitę & valetudinis ad officij functionem necessariæ simul ratio habeatur.

AXIOMA XXXV.

Summa q. 4. trifariam, vt superior, distributa.

1 TAMETSI contritionem per [1] vniuersum vitæ præsentis tempus durare o-
2 porteat, [2] eamque (quatenus per aliarum virtutum actiones permittitur) continuã
3 esse expediat, [3] nullus tamen in animis à corpore separatis, ad quemcũque locum statũue peruenerint, ei relictus est locus.

CONTRITIONIS TEMPVS.

AXIOMA XXXVI.

Summa q. 5. trifariam quoque distributa.

1 [1] CONTRITIO tam ea quæ Sacramenti pars est, quàm illa quæ à virtute proficiscitur, remissionis peccati est caus-
3 sa: [3] Imò tantam vim habet, vt quamuis
2 parua, magnum scelus delere; & [2] vehemens, peccati culpam simul cum pœna tollere possit.

CONTRITIONIS EFFECTVS.

AXIOMA XXXVII.

Summa q. 6. in 6. partes diuisa.

1 [1] PECCATORI qui capitali noxa obstrictus est, Cõfessio vel quæ reipsa extrinsecus peragitur, vel saltem quę voto (quum alterius facultas erepta est) intrinsecus suscipitur, est ad salutem necessaria.
6 [6] Nec ipse summus Pontifex quenquã ex

hac

CONFESSIO EIVSQVE NECESSITAS.

hac obligatione, [2]quæ diuini iuris est, exi- 2
mere potest. [5] Licet tamen iis qui graue 5
aliquod peccatum commiserunt, in id
tempus quod ab Ecclesia constitutum
est, eius externam Confessionem differ-
re, nisi antè aut mortis periculũ ingruat,
aut aliquid, ad quod Confessio sit neces-
saria, faciendum incidat. [3] Alij autem 3
qui leuibus tantummodo culpis sunt ob-
noxij, ad tempus ab Ecclesia statutũ qui-
dem, non tamen ex vi Sacramenti, sed
ex Ecclesiæ pręceptione vel confiteri, vel
saltem suæ conscientiæ statum proprio
sacerdoti indicare debent. [4]Cæterum v- 4
trisque, ne alicuius in confitendo falsi cri
minis sese insimulent, diligenter est ca-
uendum.

Summa q. 7. in tres partes distributa.

AXIOMA XXXVIII.

CONFESSIONIS DEFINITIO.

[a]CONFESSIO virtutis actus est, [2]e- 2
ius nimirum virtutis quæ pœnitentia su- 3
periùs est vocata, ob [1] idque non incom- 1
modè ab Augustino ad hũc modum de-
finitur, Confessio est per quam spe venię
latens morbus aperitur.

Axioma

AXIOMA XXXIX.

Summa q. 8. in 7. partes diuisa.

1 [1]TAMETSI legitima & sacramentalis Cõfessio sacerdoti, neque cuiuis sed
4 [4]proprio (paucis quibusdam casibus ex-
2 ceptis) necessariò sit facienda, [2] confitens tamen laico, vrgẽte necessitate, omnium
3 culparum; [3] non vrgente verò necessitate, leuiorum peccatorum veniam à Deo consequitur. Casus autem qui excipiun-
5 tur, sunt superioris [5] priuilegium aut ius-
6 sum, & mortis instantis [6] periculum: quo premente, non modò de peccatis, sed etiam de cuiuslibet excommunicationis vinculo, à quouis sacerdote pœnitens ab-
7 solui verè & lege potest. [7] Cæterum de pœna, satisfactionis loco præscribenda, istud sciendum, quoniam in ea non modò debiti, sed etiam remedij habetur ratio, non semper maiori culpæ maiorem pœnam esse irrogandam.

CONFESSIONIS MINISTER.

Summa q. 9. in quatuor partes distributæ.

AXIOMA XL.

4 Condit iões quæ passim à Doctoribus sacris Cófessioni tribuũtur, sunt in duplici differétia:

- Quędã sunt necessariæ vt vera sit & legitima Confessio; ex his
  - Quædã cõueniunt Cõfessioni, vt est actus virtutis
    - in genere, videlicet vt Cõfesio sit: discreta. lubens. pura. fortis.
    - in specie, vt videlicet Cõfessio sit: verecunda. lachrymosa. humilis. fidelis. nuda. simplex. integra.
  - Aliæ conueniũt Cõfessioni vt est pars Sacramenti, nimirũ vt Confessio sit: accusans. parêre parata. secreta.
- Aliæ laudabiles tantummodo sunt, & ad vberiorẽ ex Confessione fructum percipiendum vtiles, videlicet vt Confessio sit: frequens. accelerata.

CONFESSIONIS QVALITAS.

LICET inter has conditiones ponatur Confessionem debere esse lachymosam & cum dolore de vita malè acta coniunctam, [1] Confessio tamen ficta (id est) 1
quæ necdum deposita peccandi voluntate fit, nõ semper est iteranda, sed fictionis peccatum semper postea est confitendum. [2] Quod autem dicitur Confessio- 2
nem integram esse debere, sic est accipiẽdũ, vt pœnitens vni sacerdoti omnia peccata quorum sibi conscius est, verbis [3] ex- 3
pressis, non nutu, nõ scriptura, neque per interpretem, nisi mutus esset, cõfiteatur.

Axio-

AXIOMA XLI.

Summa q. 10. in quinq; partes diuiſæ.

CONFESSIONIS EFFECTVS.

1 [1]NON modò à culpa & aliqua ex par-
2 te à [2] pœna ſpecialis & Sacramentalis
3 Confeſſio pœnitentem liberat, [3] verum
etiam aditum illi ad cæleſte regnum pa-
4 tefacit, [4] æternæque ſalutis ſpem affert.
5 [5]Generalis verò Confeſſio ſacramentalis
tantam vim habet, vt etiam lethalia cri-
mina obliuioni inculpatæ tradita delere
poſſit.

AXIOMA XLII.

Summa q. 11. in quinque partes diuiſæ.

1 [1]SACERDOS ea quæ ſibi ſub Con-
feſſionis ſigillo dicta ſunt, aliis detegens
grauiſſimè peccat, & Sacramenti eſt vio-
3 lator. [3]Atqui licet hoc ſigillum ſacerdotis
ſit proprium, tamen ſicut Confeſſio ipſa, CONFESSIONIS SIGILLVM.
ita & eius ſigillum quibuſdam caſibus cũ
2 laico communicatur, [2]reſpicitq; propriè
& directè quidem peccata tãtummodò,
eaque in ſacramentali Confeſſione audi-
ta. Sunt tamen omnia quæ per Confeſ-
ſionem cognoſcuntur, diligenter à ſacer-
4 dote & à laico celanda. [4] Nihilomi-
nus & ſacerdoti & laico licet, quod in
Confeſſione audiuit, aliis dicere, ſi ei à
confitente id faciendi conceſſa ſit pote-
5 ſtas: & ſine hac poteſtate, [5]quando alia

via, quod in Confessione illi dictum est, compertum habet.

Summa quæst. 12. trifariam diuisa.

AXIOMA XLIII.

[1] SATISFACTIO propriè est illatæ iniuriæ, quemadmodum iustitiæ æquabilitas postulat, facta compensatio. Rectè quoque dicit Augustinus Satisfactionem esse peccatorum caussas excidere, & eorum suggestionibus aditum non indulgere. Ex quarum definitionum vtraque perspicuum est, [1] virtutis, [2] iustitiæ, nimirum, actum esse Satisfactionem. 3

1
2

SATISFACTIONIS DEFINITIO.

Summa q. 13. bifariam diuisa.

AXIOMA XLIIII.

[1] TAMETSI nihil tantum ab homine reddi possit, quanta est diuinæ maiestatis violatio; nihilominus tamen quãdo quod in se est, præstant mortales, & pro suis, [2] & (quantum attinet ad debiti solutionem) etiam pro alienis peccatis Deo satisfacere possunt. 1

2

SATISFACERE DEO HOMO POTEST.

Summa q. 14. in quinq; partes distributa.

AXIOMA XLV.

[1] NEMO potest vno lethali peccato retento aliud per Satisfactionem expiare; [2] opera enim, quæ alioqui satisfaciendi vim haberent, si animo aliquo scelere 1
2

occu-

3 occupato fiant, neque tunc, neque [3] postea recuperata charitate, quicquam ad satisfaciendum valent. [4] Non est tamen putandum eiusmodi opera penitus esse inutilia; conducunt enim tum ad pręsentis vitæ bona consequenda & mala effugienda, tum etiam ad honestarum actionum consuetudinem efficiendam. Animum quoque ad gratiam suscipiendam dispo-
5 nunt; & [5] quoniam multa impediũt peccata, pœnas etiam tartari aliquo modo mitigare & minuere rectè dicuntur.

SATISFACTIONIS QVALITAS.

AXIOMA XLVI.

Summa q. 15. trifariam diuisæ.

1 [1] SATISFACTIONIS opus, laudabile, ad Dei honorem spectans, & de genere eorum quæ pœnam inferunt, esse
2 oportet: [1] cuiusmodi sunt Eleemosyna, Ieiunium & Oratio; [2] afflictiones etiam, & quæcunque res aduersæ diuinitus immissæ, si forti & patienti animo perferantur; satisfaciendi vim habent.

SATISFACTORIA OPERA.

AXIOMA XLVII.

Summa quæst. 16. trifariam vt superior, diuisæ.

1 [1] INNOCENTES ea gratia quæ omnes virtutes complectitur prædit, dum adhuc in ista vita mortali versantur, pœnitentiæ habitum tantummodo; [2] beati

POENITENTIAE CAPACES QVI SINT.

verò homines in cælesti patria degentes etiam eius actum habere possunt. [3]At angeli siue boni sint siue mali, nec habitus, nec actus istius virtutis sunt capaces. 3

Summa q. 17. trifariam diuisæ.

AXIOMA XLVIII.

[1]CLAVIS nihil aliud est nisi potestas 1
quædam, qua peccata viam ad regnum cælorum præcludentia amoueri & tolli possunt. Rectè etiam ad hunc modum passim à doctoribus definitur, [2]Clauis est 2
potestas ligandi & soluendi, qua ecclesiasticus iudex dignos recipere, & indignos à regno excludere debet. [3]Estq; duplex, 3
altera discernendi, altera iudicandi, quarum vtraque in Deo per auctoritatem, in Christo per meritum & excellentiam; in sacerdotibus verò ecclesiæ sacramentorũ dispensatoribus, per ministerium existit.

CLAVIVM DEFINITIO ET DIVISIO.

Summa q. 18. in quatuor partes distributæ.

AXIOMA XLIX.

[1]QVEMADMODVM aqua baptis- 1
malis instrumentum est inanimatum; ita sacerdos per potestatẽ clauium sibi commissam, instrumentum est animatum, quo Deus ad hominem à peccatis liberandum vtitur: [2]nec ad culpam remit- 2
tendam modò, sed etiam ad temporalem pœnam,

CLAVIVM EFFECTVS.

pœnam, in quam æterna commutata est,
3 minuendam, [3]aliamque peccati veluti
medelam quandam (in qua ligandi vis
potissimùm cernitur) præscribendam,
clauium potestas sacerdotibus data ex-
4 tenditur; [4]quæ quidem summa pruden-
tia, & Dei voluntate atque ordinatione
moderanda est, alioqui enim & suo ef-
fectu in pœnitente careret, & ad graue
sacerdotis ea abutentis malum redun-
daret.

AXIOMA L.

Summa q. 19. in sex quæst. diuisæ.

3 [3]Ex duplici clauium differentia, illa
1 quæ ordinis dicitur, [1]in [4]solis ac [5]omni-
4 bus, etiam improbis nouæ legis sacerdo-
5 tibus existit: [2]& in Christo tãto excellen- CLAVIVM MINISTRI.
2 tiùs, quàm in vllo alio sacerdote, quanto
per se agentis facultas, vi adiutrice instru
6 menti perfectior est atq; nobilior. [6]Istius
tamen clauis vsu schismatici, hæretici, ex-
cõmunicati & degradati, quatenus sub-
diti iis subtracti sunt, priuantur. Altera
verò, quam iurisdictionis clauem vocant,
etiam cum aliis Ecclesiæ ministris, qui sa-
cerdotes non sunt, communicatur.

Summa q. 20. in tres partes diuisæ.

AXIOMA LI.

TAMETSI clauium vis & efficacitas, omnes, quantum in se est complectatur, propter iurisdictionis tamen defectum non [1] potest nouæ legis sacerdos, 1
(extra necessitatis tempus) in eo qui sibi subditus non est, neque [2] etiam promi- 2
scuè in omnibus sibi subditis, clauiũ potestatem exercere. Sunt enim quædam crimina, quorum cognitionem absolutionemque superioris dignitatis antistites sibi reseruarunt. [3] Posset nihilominus 3
superior antistes ad se absoluendum inferioris sacerdotis iurisdictionem potestatemq; dilatare.

CLAVES IN QVO EXERCENDAE.

Summa q. 21. quadrifariam diuisæ.

AXIOMA LII.

1 [1] RECTE doctores tradunt excommunicationem separationem esse ab Ecclesiæ communione, quod ad fructum ex ea percipiẽdum, & generalia eius suffragia participanda attinet. Quod quidem pœnæ genus licet sit grauissimum,
2 [2] laudabiliter tamen à catholica Ecclesia
Dei ipsius exemplo ad frangendam improborum & rebellium hominum contumaciam ([3] etiamsi in externis tantum- 3
modo bonis alium læserint) vsurpatur, habet-

EXCOMMVNICATIONIS DEFINITIO, ET VIS.

4 habetque tantam vim, vt [4] excommunicatio etiam iniustè irrogata sæpenumero valeat effectumque sortiatur, quando videlicet error commissus non tollit sententiæ auctoritatem.

AXIOMA LIII.

Summa q. 22. in 6. partes distributa.

QVANDOQVIDEM ad excommunicationis sententiam ferēdam opus est iurisdictionis in exteriori foro auctoritate; idcirco hoc munus exercere non

EXCOMMVNICARE ET EXCOMMVNICARI QVIS POSSIT.

3 possunt, neque [3] excommunicati, neque suspēsi (quibus istius iurisdictionis interdictus est vsus) [1] neque omnes sacerdo-
1
2 tes, [2] neque soli, sed ij duntaxat quibus iuxta ecclesiasticæ disciplinæ leges ista prouincia est mandata, siue sint siue non sint sacerdotes. Quia verò iurisdictio in-
4 feriorem respicit, hinc est quod neq; [4] seipsum, neque æqualem, neque superiorem quisquam possit excommunicare.
5 [5] Prohibet autem Ecclesia vniuersam populi multitudinem anathematis cōdemnare pœna, ne fortè innocens cū nocente in parem inuoluatur damnationem.
6 [6] Sed istud mirum fortasse quibusdam videbitur: est tamen verum, cum videlicet qui semel è cœtu fideliū per anathema-

tis ſententiam eiectus eſt, ſecundò & tertiò poſſe excommunicari.

Summa q. 23. trifariam diſtributa.

AXIOMA LIIII.

[1]Ex duplici excommunicatione, propter minorem nemini cuiuſquam familiaritas aut conſuetudo interdicitur: at eo qui maiori damnatus eſt, familiariter vtens, etiam in rebus ad corpus pertinentibus (niſi aut ſpiritalis commodi, aut obligationis, aut neceſſitatis ratione excuſetur,) [3]grauiter nónunquam peccat, nimirum ſi conſulendo, adiuuando, aut aliter fauendo, criminis eius qui excommunicatus eſt fiat particeps, aut in rebus diuinis, aut aliis ad Eccleſiæ contemptum cum illo ſocietatem incat: leuiter verò ſi quocunque alio modo quiſpiam cum eodem familiaritate iungatur. [2]Pœna quoque huius prohibitionis violatoribus varia eſt conſtituta. Nam ſi excommunicationis ſentẽtia etiam familiariter excommunicato vtentem complectatur, aut ſi quiſpiam conſulendo, adiuuando, aut aliter faciendo criminis particeps efficiatur, tum proculdubio excommunicato extra caſus ſuperiùs exceptos familiariter ſe

EXCOMMVNICATI CONSORTIVM FVGIENDVM.

1
3
2

ter se coniungens in maiorem, alij in minorem duntaxat incurrunt excommunicationem.

AXIOMA LV.

Summa q. 24. trifariam, vt superior, diuisa.

1 [1] MINORIS excommunicationis pœna, & maioris quoque, si ea sit à lege inflicta (sex tantummodo exceptis casibus, qui fusè apud Thomam explicantur) quiuis sacerdos suum subditum absoluere potest. Si verò maior excommunicatio à iudice sit irrogata, extra mortis necessitatem, solus iudex qui irrogauit, aut eius superior antistes illius tollendæ EXCOMMVNICATI ABSOLVTIO.
2 potestatem habet: [2] qua, etiam illo, qui anathemate irretitus tenetur, inuito, vti
3 potest. [3] Istud quoque certum est, si quis pluribus damnatus esset excommunicationibus, licet interdum omnes simul auferantur, posse tamen vna sublata alteram manere, præsertim si à diuersis inflictæ sint iudicibus.

AXIOMA LVI.

Summa q. 25. trifariamquoque diuisa.

2 [1] INDVLGENTIÆ, quãdoquidem ex infinito Ecclesię thesauro depromun-

tur, tribus iſtis rebus concurrentibus, nimirum ex parte tribuentis auctoritate, ex

INDVLGENTIARVN VIS.

parte accipientis charitate, ex parte cauſæ pietate, legitimę ſunt, tantumq; valēt, quantum valere prædicantur. [1] Quare 1
dubitandum non eſt, quin & pœnam ſatisfactionis loco, etiam in purgatorio perſoluendam remittendi vim habeant, & 3
pro [3] ſubſidio temporali ad ſpiritalem vtilitatem relato, laudabiliter tribuantur.

Summa q. 26. quadrifariam diſtributa.

AXIOMA LVII.

[1] IN ſolis Epiſcopis, [2] ſiue ſint ſiue non 1
ſint ſacerdotes, ordinaria reſidet indul- 2
gentias largiendi poteſtas: in [3] ſummo 3

INDVLGENTIARVM LARGITORES.

quidem Epiſcoporũ legitimo Petri ſucceſſore plena, in aliis verò limitata. [4] In 4
quibus omnibus, ſiue probi ſiue improbi ſint, iſta poteſtas vnius eiuſdemq; manet efficacitatis.

Summa q. 27. in quatuor partes diſtributa.

AXIOMA LVIII.

[1] QVICVNQVE aliquo lethali ſce- 1
lere adhuc obſtricti tenentur, ij ad indulgentiarum gratiam percipiendam minimè ſunt idonei: qui verò ab eiuſmodi ſcelere animum habent immunem, ſiue
[2] monachi ſint, ſiue alterius cuiuſcunque 2
condi-

4 conditionis homines([4]cōprehenſis etiam
iis qui indulgentias largiuntur) modò
3 [3]conditiones in literis indulgentiarum
deſcriptas obſeruent, iſtius generis gra-
tiam conſequi poſſunt.

INDVLGENTIAE QVIBVS PROSINT.

AXIOMA LIX.

Summa q. 28. trifariam diuiſa.

1 [1]PROPTER multas grauiſſimas cauſſas
3 laicis tam viris quā[3]mulieribus ad expiā-
da certa crimina, & præſertim ea quibus
tota ciuitas concitatur, publica & ſolen-
nis laudabiliter indicitur pœnitentia.

POENITENTIA SOLENNIS.

2 [2]Quæ quum eiectionis Adami ex para-
diſo ſignificationem, & perpetui de pec-
cato doloris profeſſionem contineat, con
tra eius naturam id foret ſi iteraretur, ſæ-
piùſq; eidem ſubeunda ſtatueretur.

DE EXTREMA VNCTIONE.

In Extremę Vnctionis explicatione de istis quinque capitibus agitur, videlicet,

- De
  - Iis quæ pertinent ad naturam & primam institutioné extremæ vnctionis:
  - effectu extremæ vnctionis:
  - Idoneo eius ministro.
- Cui impertiendum sit istud Sacramentum, & in qua parte corporis adhibendum
- Posśit iterari necne istud Sacramentum.

Summa quæst. 29 in 9. partes distributa.

AXIOMA LX.

EXTREMAE VNCTIONIS INSTITVTIO MATERIA ET FORMA.

EXTREMA vnctio [2]vnum est [1]Sa- 2
cramentum, ab [3]apostolis quidem pro- 1
mulgatum, sed à Christo primùm insti- 3
tutum. Cuius idonea & conueniens ma-
teria est [4]oleum oliuæ ab [6]episcopo [5]con- 4
secratum: [7]forma verò [9]legitima hæc [8]de- 6
precatio : Per istam sanctam vnctionem, 5
& piissimam suam misericordiam, parcat 7
tibi Dominus quicquid deliquisti per vi- 9
sum. Per istam sanctam vnctioné & suam 8
piissimam misericordiá, parcat tibi Dominus quicquid deliquisti per adiutum. Per istam sanctam vnctionem & suá piissimá misericordiá parcat tibi Dominus quicquid deliquisti per odoratum. Per

istam

iſtam ſanctá vnctionem & ſuá piiſſimam miſericordiá parcat tibi Dominus quicquid deliquiſti per guſtũ & locutionem. Per iſtam ſanctam vnctionem & ſuã piiſſimam miſericordiá parcat tibi Dominus quicquid deliquiſti per tactum: Per iſtam ſanctam vnctionem & ſuam piiſſimam miſericordiam parcat tibi Dominus quicquid deliquiſti per greſſum.

AXIOMA LXI.

Summa q. 30. trifariã diuiſa.

EXTREMÆ vnctionis Sacramẽtum
3 [3]nullum imprimit characterem,ſed valet
1 [1]primò quidem & præcipuè ad curãdam animi ex peccato lethali contractam imbecillitatem,& vires firmamq́; valetudinem ei reſtituendam : quem effectum etiam deletio peccati(ſi modò inuentum
2 ſit) neceſſariò conſequitur. [2]Secundo autem loco ad medendum corporis morbo. Non tamen ſemper hunc præſtat effectum , ſed tum demum cùm ita expedit ſuſcipientis ſaluti, & ipſe nullum opponit impedimentum.

EXTREMAE VNCTIONIS EFFECTVS.

AXIOMA LXII.

Summa q. 31. in tres partes diuiſa.

2 EXTREMÆ Vnctionis adminiſtra-
1 tio non ad [2]diaconi munus,& multò mi-
3 nus ad [1] laici conditionem, ſed ad [3] ſolius ſacerdo-

EXTREMAE VNCTIONIS MINISTER.

sacerdotis pertinet officium, siue is sit siue non sit Episcopus.

Summa q. 32. in 7. partes distributa.

AXIOMA LXIII.

EXTREMA VNCTIO QVIBVS IMPERTIENDA, ET IN QVA PARTE CORPORIS ADHIBENDA.

Hominibvs maturæ [4] ætatis, non 4
pueris; sanæ [3] mentis, non furiosis; [1] mor- 3
bo aliquo, [2] in quo sit vitæ periculum, la- 1
borantibus, non sanis: [5] neque in toto cor 2
pore, sed in his duntaxat septem [6] parti- 5
bus, oculis, auribus, naribus, ore, manibus 6
atque pedibus subministrandum est ex-
tremæ Vnctionis Sacramentum. [7] Si ve- 7
rò quempiam ęgrotum aliqua ex istis partibus priuatum esse cõtingeret, tum proxima pars loco deficientis esset inungenda.

Summa q. 33. in duas partes diuisa.

AXIOMA LXIIII.

EXTREMAE VNCTIONIS ITERATIO.

Cvm extrema Vnctio non sit ex eorũ numero Sacramentorum quæ perpetuũ
habent effectum, non modò in [1] diuersis 1
morbis, verum etiam in [2] eodem si diu- 2
turnus sit, cuiusmodi sunt hæctica & hydropisis, iterari sine vlla suæ dignitatis iniuria potest.

DE

DE ORDINIS SACRAMENTO.

Ad Sacraméti Ordinis declarationem de his quinq; cap. hîc disseritur, videlicet de
- Ordine in genere, cuius capitis tres sunt partes, de
  - Propria natura & partibus Sacraméti Ordinis.
  - Effectu eius.
  - Suscipientibus ordiné.
- Distinctione ordinum.
- Conferentibus ordinem.
- Impedimento initiandorum.
- His quæ sunt ordinibus annexa.

AXIOMA LXV.

Partim ex Thoma, partim ex Eugenij quarti Decreto Armenijs dato sumptum.

Summa q. 34. in quinq; quæst. distributa.

3 ORDO [3] Sacramentum est Ecclesiæ
1 [1]necessarium, in [2] quo per exterum signa-
2 culum interna & spiritalis potestas ordi-
nato conceditur. Huius porrò Sacramen- ORDINIS DEFINITIO ET PARTES.
5 ti [5] materia est illud per cuius traditioné
confertur Ordo: sicut Presbyteratus traditur per calicis cum vino, & patenę cum pane, porrectionem. Diaconatus verò per libri Euangeliorum dationem. Subdiaconatus verò per calicis vacui cũ patena vacua superposita traditionem, & similiter Ordines per rerum ad ministeria
4 sua pertinentium designationem. [4] for-
ma sacerdotij hæc est; Accipe potestatem

offe-

offerendi sacrificium in Ecclesia pro viuis & mortuis in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Aliorum Ordinum formas, breuitatis caussa, hîc omissas, si quis videre velit, eas in Pontificali Romano latè descriptas inueniet.

Summa q. 35. in 5. partes distributa.

AXIOMA LXVI.

ORDINIS EFFECTVS.

IN cuiuslibet ordinis collatione, &
[1]gratia gratum faciens donatur, & [2]cha- 1
racter imprimitur: qui [3]characterem ba- 2
ptismi quidem ex necessitate, [4]confirma 3
tionis ex congruentia, [5]inferioris autem 4
ordinis ex ecclesiastica tantùm constitu- 5
tione antè susceptum requirit.

Summa q. 36. in quinque partes distributa.

AXIOMA LXVII.

TAMETSI & [4]promouẽs indignum 4
ad aliquem ex ordinibus sacris, & cum
conscientia peccati lethalis ordinem sa-
crum [1]suscipiens, vel [5]eo vtens grauissimè 1 5
peccet; non est tamen [1]vitæ bonitas ad 1
ordinis susceptionem ex parte sacramen-
ti, sed ex parte diuini præcepti duntaxat,

ORDINEM SVSCIPIENTIVM QVALITAS.

necessaria. [2]Similiter quoque scripturæ 2
cognitio in eo qui ordinem suscipit requi
ritur, nõ quidem absoluta, sed quæ ad or-
dinis qui suscipitur munere rectè fungẽ-
dum sufficiat. [3]Cæterùm licet virtus atq; 3
scientia

ſcientia maximè ordinandos, & iam ordinatos deceant; per ſe tamen nemini ordinem præſtare poſſunt.

AXIOMA LXVIII.

Summa q. 37. in. 5. partes diſtributa.

2 IVXTA [2]numerum miniſteriorum, quæ ad Euchariſtiæ conſecrationem de-
1 centemq́; tractationem opus erant, [1]ſeptem clericorum ordines ſunt inſtituti, è
3 [3]quibus tres ſupremi, quòd circa materiam conſecratam verſentur, ſacri; reliqui verò quòd in materia non conſecrata occupati ſint, non ſacri rectè nominantur.
4 [4]Diſtinguuntur etiam iſti ordines, quòd ſingulorum propriæ quædam ſint & definitæ functiones: Nam oſtiarij eſt oſtiorum templi curam gerere, ad dignos recipiendos, indignos verò repellendos: Lectoris pronuntiare lectiones, & prophetarũ oracula populo declarare: Exorciſtæ ab energumenis & catechumenis dæmonum vexationes exorciſmis depellere. Acolythi luminaria in ſacrario præparare, cereũ geſtare, ac vrceolos cũ aqua & vino ſubdiacono miniſtrare: Subdiaconi, vrceolũ, aquamanile, & manutergiũ epiſcopo, presbytero & diacono ad lauandas manus ſubminiſtrare: epiſtolã legere, oblationes à populo recipere, & eas vel ſuper

ORDINVM DISTINCTIO

altare

altare collocare, vel diacono tradere, itē calicem & patenam ad altare delata diacono dare, in calicemq; vinum & aquam infundere. Diaconi ſacerdoti aſſiſtere & ei miniſtrare, in his potiſſimùm Sacramentis, Baptiſmo, Chriſmate & Euchariſtia componere menſam Domini, crucem ferre, Euangelium & Epiſtolam populo explanare, & ſanguinem Domini eidem diſpenſare: Sacerdotis abſoluere, ligare, Dei dona benedicere, & præcipuè corporis & ſanguinis Domini Sacramentum conficere. [5]Qui quidem ſacerdos tū 5
demū ſuum characterem recipit, quū illi ſub certa verborum forma calix traditur.

Summa q. 38. bifariam diſtributæ.

AXIOMA LXIX.

[1]ORDINIS Sacramentum ſolus E- 1
piſcopus conferre poteſt: [2]quam eius po- 2
teſtatem nec ſuſpēſio, nec hæreſis (modò legitima verborum forma, & Eccleſię intentio ſalua maneat) tollendi vim habet.

ORDINEM CONFERENS.

Qui tamen à ſuſpenſo, vel hæretico ordinatur Epiſcopo, propter peccati obſtaculum, quod in ſe eſt, gratiam non conſequitur, nec accepto ordine, propter iuriſdictionis, in eo qui ordinauit, defectū, vti poteſt.

Axioma

AXIOMA LXX.

Summa quæſt. 39. in 6. partes diſtributæ.

2 [2]Pveri vſu rationis adhuc carẽtes, item
3 [3]ſerui qui in aliena ſunt poteſtate, [4]atque
4 homicidæ qui humano ſanguine manus
5 ſuas polluerunt, cùm [5]nothis, & [6]ijs qui
6 inſigni aliqua mutilatione ſunt defor-
mati, præcepti quidem ordinatione, non
autem Sacramenti neceſſitate à ſacris or-
1 dinibus arcentur: at [1]mulier, neceſſaria
Sacramenti ratione ab iiſdem repellitur
ordinibus. Quapropter ordinis Sacra-
mentùm temerè, & contra conſtitutio-
nem eccleſiaſticam collatum, illi verè
ſuſcipiunt: hæc verò nequaquam ſuſci-
pere poteſt.

ORDINIS IMPEDIMENTA.

AXIOMA LXXI.

Summa q. 40. in 7. quæſt. diſtributæ.

2 Tonsvra non eſt [2]ordo, neque
3 [3]quenquam priuat terrenas poſſeſſiones
1 habendi poteſtate; [1]eam tamen cuiuſli-
bet ordinis clericos deferre oportet, quòd
regni cuiuſdam ſpiritalis, & excellentio-
ris perfectionis, mentiſque à caducis re-
bus ad diuinas ſempiternaſque abductio
5 nis ſignificationem contineat. [5]Similiter
epiſcopatus dignitas non eſt inter ſacros

ORDINIBVS ANNEXA.

ordines numeranda. [4] Ipſa tamen pro- 4
pter populi ad Euchariſtiam ritè ſuſci-
piendam præparationem, & ſummi pon-
tificis auctoritas ([6] quæ eſt epiſcopatu ſu- 6
perior) propter Chriſtianorum vnionem,
eorumq́ue in vnum corpus colligatio-
nem, Eccleſiæ eſt neceſſaria. [7] Porrò ſi 7
quis fortè miretur veſtium quibus vtun-
tur Eccleſiæ miniſtri varietatem, is ſciat nonnulla eſſe officia omnibus Eccleſiæ miniſtris communia, alia verò certis ordinibus peculiariter conuenientia, & ad id deſignandum quædam veſtium genera communiter omnibus, alia verò certis ordinibus fuiſſe tribuenda.

DE

DE MATRIMONIO.

Tractationis de Matrimonio tria sunt capita, hęc videlicet

- Matrimonium quatenus est naturale officium.
- Matrimonium quatenus est Sacramentum.
- Matrimoniũ vt est speciale Sacramentum, ad cuius explicationẽ disputatur de
  - Sponsalibus.
  - Matrimonij propria ratione.
  - Matrimonij caussa efficiente, seu consensu
    - Consensu in genere.
    - Consensu iureiurãdo vel corporum commixtione firmato.
    - Consensu coacto & conditione restricto.
    - Consensus obiecto.
  - Bonis quæ oriuntur ex Matrimonio.
  - Matrimonij impedimentis, vbi agitur de
    - impedimentis in genere.
    - erroris impedimento.
    - conditionis seu seruitutis impedimento.
    - voti & ordinis impedimento.
    - propinquitatis impedimento.
    - affinitatis impedimẽt.
    - cognationis spiritalis impedimento.
    - cognatiõis legalis quæ per adoptionem fit impedimento.
    - frigiditatis, maleficij, furiæ & amentiæ impedimento.
    - disparitate cultus, quæ Matrim. impediat.
    - vxoris interfectione.
    - voti solennis impedimento.
    - fornicatione alterius coniugum.
  - Secundis nuptiis.
  - Quibusdam quæ sunt Matrimonio annexa
    - debiti redditione.
    - pluribus vxoribus.
    - defectu qui irregularitas vulgò appellatur ꝑ bigamiã cõtracto.
    - libello repudij.
    - filiis illegitimè natis.

Summa q. 41. in. 4. partes diſtributa.

AXIOMA LXXII.

MATRIMONIVM VT EST NATVRALE OFFICIVM.

QVANQVAM matrimonium iu-
ris ſit [1]naturalis,eiuſque actus non modò 1
[3]licitus, ſed etiam frequenter laudabilis 3
ſit [4]præmioque dignus,quando videlicet 4
aut debiti reddendi, aut prolis ad Dei
cultum generandæ cauſſa ſuſcipitur: [2]ne- 2
mo tamen his temporibus ad matrimo-
nium contrahendum vllius præcepti ne-
ceſſitate obligatur.

Summa q. 42. in quatuor partes diuiſa.

AXIOMA LXXIII.

MATRIMONIVM VT EST SACRAMENTVM.

[2]MATRIMONIVM diuerſarum re 2
rum, quæ in eo concurrunt,reſpectu, di-
uerſis temporibus fuit inſtitutum: Nam
ſi reſpicias filiorum procreationem, in-
nocẽtię ſtatu: ſi remedium aduerſus pec-
cati vulnus, medio inter Adæ lapſum &
Moyſi legem tempore: ſi certarum per-
ſonarum matrimonio idonearum defini-
tionem,in vetere lege: ſi myſterium con-
iunctionis Chriſti cum Eccleſia,in noua:
ſi amicitiam & mutuum cõiugum inter
ſe obſequium, in ciuili lege ſuam accepit
originem. Atqui ſecundum omnes iſtas
inſtitutiones, prima & poſtrema exce-
ptis,matrimonium rectè [1]Sacramentum 1
vocatur. Secundum illam verò inſtitu-
tionem quam Euangelij tempore acce-
pit,

3 pit, nouæ legis est Sacramẽtum, [3]gratiam ad ea quæ matrimonij sunt, rectiùs peragenda
4 conferens: [4]cuius, sicut & aliorum matrimonij generum, secunda perfectio quæ in operatione consistit, non autem prima quæ in existẽdo posita est, sexuum commixtionem desiderat.

AXIOMA LXXIIII.

Summa q. 43. trifariam diuisa.

1 [1]SPONSALIA nihil aliud sunt, nisi futurarum sponsio nuptiarum; ad quæ
2 [2]contrahenda idonei sunt qui septimum ætatis suæ annũ vel attigerunt vel trãsie-
3 runt. [3]Dissoluuntur autem propter varias caussas: iure quidem propter duas, nimirum propter fidem matrimonij in præsens alteri datã, & monastici instituti professionẽ: at Ecclesiæ iudicio propter alias plurimas, quas longum foret enumerare. SPONSALIA.

AXIOMA LXXV.

Summa q. 44. in tres partes distributa.

3 [3]MATRIMONIVM rectè à Magistro definitur esse viri mulierisque, mari-
1 talis [1]cõiunctio, inter legitimas personas, indiuiduam vitæ retinens consuetudinẽ; MATRIMONII DEFINITIO.
2 [2]congruumque suo effectui sortitum est nomen; ob id enim nubit fœmina vt aliquãdo mater fiat. Vocatur etiam coniugium & nuptiæ: Cõiugium quidem à sua natura; nuptiæ verò à caussa efficiente.

Summa q. 45. in quinq; partes diuisa.

MATRIMONII CONSENSVS.

AXIOMA LXXVI.

MVTVVS inter virum & fœminam 4
[4]consensus, [2]verbis tempus [3]præsens de- 2
signantibus, siue palàm siue [5]clam expres- 3
sus, vera est matrimonij [1]caussa efficiens. 5

HIC & in sequenti Axiomate aduertendum est, Clan- 1
destina matrimonia, rata quidem & firma fuisse, quandiu ab
Ecclesia non fuit eorum vis & efficacitas sublata: post edi-
tam verò Tridentini concilij de ipsorum abolitione, & ener
uatione sanctionem (quam videre licet sess. 24. de reforma-
tione matrimonij capite primo) omnem vim veri & Chri-
stiani matrimonij efficiendi amisisse. Decretum siquidem
ea constitutione est, nullum matrimonium, nisi quod præ-
sente parocho vel alio sacerdote, de ipsius parochi seu ordi-
narij licentia et coram duobus vel tribus testibus celebra-
tum sit, verum, et ratum matrimonium esse habendum.

Summa q. 46. bipartitò diuisa.

MATRIMONII CONSENSVS IVREIVRANDO VEL CORPORVM COMMIXTIONE FIRMATVS.

AXIOMA LXXVII.

[1]IVSIVRANDVM consensui per 1
verba temporis futuri declarato accedés
non efficit matrimonium: [2]at sexuum 2
commixtio si talem cōsensum subsequa-
tur (nisi apertum fraudis appareat argu-
mentum) in Ecclesiastico foro ratum &
firmum matrimonium reddit, licet iuxta
conscientiæ forum, nullum sine vero vo-
lūtatis assensu, coalescat matrimonium.

Summa q. 47. in 6. partes distributa.

AXIOMA LXXVIII. 2

CONSENSVS metu in [2]constan- 1
tem virum cadente [1]extortus [3]tollit ma- 3
trimonium, tam ex parte [4]cogētis, quàm 4
ex parte illius qui cogitur. [6]Imò neque 6
pater

pater ex ſua auctoritate filiũ ad vxorem
5 ducendam compellere poteſt. [f]Suſpẽſus verò per conditionem appoſitam conſenſus, interdum efficit, interdum nõ efficit matrimonium. Nam ſi tempus præſens reſpiciat appoſita cõditio (ſiue honeſta ſit ſiue turpis, modò matrimonij bonis non repugnet) ſi adſit. ſimiliter ſi conditio ſit neceſſaria, quodcunq; tempus reſpiciat, efficiendi matrimonij vim habet. Si verò in genere rerum fortuitarum eſſet conditio, & ad tempus futurum referretur, cõſenſus ſub eiuſmodi cõditione expreſſus ad copulandum matrimonium non ſufficeret, non magis quàm ſi verbis temporis futuri eſſet expreſſus.

MATRIMONII CONSENSVS COACTVS ET SVB CONDITIONE EXPRESSVS.

Summa q. 48. bifariam diuiſæ.

AXIOMA LXXIX.

2 [a]MATRIMONIALIS conſenſus
1 ([b]cuius proprium & primum obiectum eſt, non ſexuum commixtio, ſed ſocialis coniugatio) propriè & per ſe ſpectat prolis generationem, & fornicationis vitationem: alios autem fines ſiue honeſtos ſiue turpes, quos in matrimonio contrahendo ſibi proponunt coniuges, impropriè & fortuitò, ita vt iſti fines ad coniugum quidem, non autem ad coniugij, bonitatem aut prauitatem redundent.

MATRIMONIALIS CONSENSVS OBIECTVM.

Summa q. 49. in 6. partes distributa.

AXIOMA LXXX.

Ex tribus matrimonij bonis, [2]fide vi- 2
delicet, prole, & Sacramento, quibus ex-
cusatur [1]matrimonium eiusque [4]actus, 1
[3]Sacramentum primas obtinet partes. 4
[5]Sunt autem ista matrimonij bona, sal- 3
tem proles & fides; sub qua comprehen- 5
ditur debiti persolutio, ad honestatem
actus matrimonialis adeò necessaria, vt is
[6]qui rem habet cum vxore solius volup- 6
tatis & libidinis explendæ caussa, semper
peccet: lethaliter quidem, si is libidinis
ardor etiam extra matrimonij terminos
feratur; leuiter verò, si intra matrimonij
fines contineatur.

MATRIMONII BONA.

Summa q. 50. quæ μονομερής est.

MATRIMONII IMPEDIMENTA IN GENERE.

In quibus ne quis iam fallatur post editas concilij Tridentini sanctiones, videatur totum decretum de reformatione matrimonij sess. 24.

AXIOMA LXXXI.

Contrahendvm matrimoniũ impedit ecclesiæ prohibitio, & id tempus quod feriatum vocare solent: contractum verò dirimunt quę sequẽtibus versiculis continentur.

Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
Cultus disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas,
Si sis affinis, si fortè coire nequibis.

Summa q. 51. bifariam diuisa.

MATRIMONIVM IMPEDIENS ERROR.

AXIOMA LXXXII.

Tam in [2]persona, quàm in ipsius con 2
ditione commissus error, [1]naturaliter im 1
pedit quo minùs coalescat matrimoniũ.

Axio-

AXIOMA LXXXIII.

Summa q. 52. quadrifariam diuiſa.

MATRIMONIVM IMPEDIENS SERVITVS.

2 [2]QVANQVAM ſeruo ad ducen-
dam vxorem non ſit neceſſarius domini
1 conſenſus, [1]ignorata tamē ſeruitutis con-
ditio, contractum extrinſecus matrimo-
3 nium nullum reddit. [3]Poſſet nihilomi-
nus qui liber matrimonium contraxiſſet,
citra eius diſſolutionem, ſeſe alteri etiam
inuita vxore in ſeruitutem mancipare.
4 [4]Porrò ſobolem ex diſparis conditionis
parentibus natam, ciuiles leges, quibus
eccleſiaſticæ aſſentiuntur, ſtatuunt in iis
quæ ad perſonæ conditionem pertinent,
matrem, in aliis verò quę dignitatis ſunt,
patrem ſequi debere.

AXIOMA LXXXIIII.

Summa q. 53. quadripartita.

MATRIMONIVM IMPEDIENS VOTVM ET ORDO.

CONTRACTI iam matrimonij di-
2 rimendi vim, non quidem [2]ſimplex, ſed
1 [1]ſolenne votū habet. [4]Et licet à matrimo
4 nio, etiam adhuc conſtante, ad ſacros or-
3 dines aditus concedatur; retro [3]tamen à
ſacris ordinibus (propter votum conti-
nentiæ illis annexum) ad matrimonium
commeare nequaquam licet.

AXIOMA LXXXV.

Summa q. 54. quadrifariam diuiſa.

1 [1]SANGVINIS propinquitas, ſeu (vt
vulgò appellatur) conſanguinitas nihil
aliud eſt niſi vinculum quoddam eorum

qui ab eodē ſtipite ſiue principio deſcen-
dunt, corporali propagatione cōtractum,
[2]certiſq́; gradibus atq; lineis diſtinctum: 2
[3]quod extrinſecus celebratum matrimo- 3
nium dirimit, iure quidem naturali inter
parentem & eius prolem, veteri autem
lege inter eas perſonas ad quarum alte-
ram alterius pudicitiam cuſtodire perti-
net: [4]& eccleſiaſtica conſtitutione inter 4
illas, inter quas eſt in linea trāſuerſa citra
quintum gradum ſanguinis coniunctio
atque communio.

MATRIMONIVM IMPEDIENS CONSANGVINITAS.

Summa q. 55. in 11. partes diſtributa.

AXIOMA LXXXVI.

AFFINITAS eſt propinquitatis quod-
dam genus ex [1]matrimonio, concubitu 1
[3]illicito, vel [4]ſponſalibus ([5]non autem ex 3
alia affinitate) cōtractum, & ad mortem 4
[2]vſque inter perſonas quas ſemel cōiun- 5
xit permanēs: [6]quod matrimonium non 2
ſecus ac ſanguinis propinquitas impedit 6
atque [9]dirimit, [7]gradibus, eorumq́; diſtin- 9
ctione & [8]extenſione à ſanguinis propin- 7
quitate ſumptis. In qua quidē dirēptio- 8
ne faciēda, & [10] accuſationis & [11] teſtium 10
productionis ritu procedere oportet. 11

MATRIMONIVM IMPEDIENS AFFINITAS.

Summa q. 56. in. 5. partes diuiſa.

AXIOMA LXXXVII.

SPIRITALIS cognationis, quæ par-
tim ex [2]Baptiſmi, partim ex Cōfirmatio- 2
nis

nis Sacramẽto naſcitur, tres ſunt ſpecies,
his nominibus apud eccleſiaſticos ſcri-
ptores vſitatis appellatæ, ſpiritalis paterni
3 tas, cõpaternitas & ſpiritalis fraternitas. [3]E
quibus paternitas inter ſuſceptorẽ & ba-
ptizatũ ſeu confirmatũ, item inter bapti-
zantem ſeu confirmantẽ, & eũ qui bapti-
5 zatur ſiue confirmatur: [5]Cõpaternitas in-
ter ſuſceptorẽ ſiue baptizantem aut con-
firmãtem, & baptizati vel confirmati pa-
rentes: fraternitas verò inter baptizatum
ſeu confirmatum & ſuſceptoris natura-
4 les liberos exiſtit. [4]Tranſeũtq; omnes iſtæ
cognationis ſpecies à viro ad vxorem, & è
diuerſo ab vxore ad virum, conſummato
iam matrimonio accedentes, & propria
1 operatione accerſitę; [1]impediũtq; matri-
monium contrahendum, ac iam contra-
ctum dirimunt ipſum connubium ante-
greſſæ, conſequentes verò nequaquam.
Sed ſi de induſtria nulla neceſſitate cogẽ-
te per cõiugum alterum cum altero con-
trahantur, iure tantummodo debiti exi-
gendi, eum per quẽ ſunt cõtractæ, priuãt.

MATRIMONIVM IMPEDIENS COGNATIO SPIRITALIS.

AXIOMA LXXXVIII.

Summa q. 57. tripartita.

1 [1]ADOPTIO eſt perſonæ extraneę in
filium, filiam, nepotem aut neptem legi-
3 tima cooptatio. Vnde [3]triplex naſcitur
cogna-

MATRIMONIVM IMPEDIENS COGNATIO CIVILIS.

cognatio ciuilis, prima inter adoptantem & adoptatum eiusq; posteros: secunda inter adoptatum & naturalem filium aut filiã adoptantis: tertia verò inter vxorem adoptantis & adoptatum, vel inter vxorem adoptati & patrem adoptantem.

E [2]quibus prima & tertia semper, secunda verò quandiu adoptatus est in potestate illius à quo est adoptatus, matrimonium impedit. 2

Summa q. 58. in quinque partes distributa.

AXIOMA LXXXIX.

MATRIMONIVM IMPEDIENS FRIGIDA NATVRA, MALEFICIVM, AMENTIA, INGESTVS, AETAS IMMATVRA.

ET [1]propter frigiditatem naturæ, non ætatis defectu euenientẽ, & propter eam 1
quæ [2]maleficio cõtracta est coëundi perpetuam impotentiã, triennij experimento comprobatam, Ecclesię auctoritate separantur coniuges; sed in separatione propter impotentiam ex maleficio ortam, vtriq; coniugum, in altera verò fœminæ tantum, libera cõceditur ad nouum connubium transeundi potestas: [1]ita tamen 2
vt si quando priori viro coeundi facultatem restitui contingat, posteriori relicto, ad priorem virum ea fœmina redire debeat. Matrimonium quoque impediunt & contractum dirimunt [3]amentia perpetua, & ea quæ rationis vsu tempore matrimonij suscipiendi mentem priuauit. [4]Similiter 1 3 4

militer inceſtus cum futuræ vxoris ſorore, vel ante ſpõſalia, vel medio inter ſponſalia & matrimoniũ tempore commiſſus; pòſt verò conſecutus, non dirimit conſtás iam matrimonium, ſed eum à quo commiſſus eſt, iure debiti petendi priuat, atq; eidem ne aliam vxorẽ ducat, priore mortua ab Eccleſia interdicitur. Item ætas
5 [5]immatura, cuiuſmodi in maſculis citra decimumquartum annum, in fœminis verò citra duodecimũ (niſi iudicij vigor, quod ętati deeſt, cõpenſet) eſſe ſtatuitur.

AXIOMA XC.

Summa q. 59. in ſex partes diſtributa.

1 [1]TAMETSI fidelis cum infideli neq; ratum neque legitimum matrimonium
2 contrahere poſſit, [2]nihilominus tamen verum eſt id matrimoniũ quod inter ſe
3 celebrant infideles. [3]Ita tamen vt ſi contingat alterum coniugum, altero fidem amplectente, in errore ſuo permanere,
4 [4]neque ad debitum reddendum, neque ad cohabitationẽ ferendam, is qui fidem
3 amplexus eſt teneatur ([3]retenta interim vtriuſque faciendi poteſtate.) Et quod
5 [5]amplius eſt, ſi eius qui infidelis manet, peruerſitas vſque ad obſtinatam creatoris contumeliam procederet, fidelis priori diſſoluto, noui matrimonij ſuſcipiendi poteſta-

MATRIMONIVM IMPEDIENS CVLTVS DISPARITAS.

poteſtatem haberet, quę nec ob aliam infidelitatem, [6] nec ob aliud quodcunque 6
ſcelus concederetur.

Summa q. 60. biſariam diuiſa.

AXIOMA XCI.

[1] VXOREM in adulterij actu depre- 1
henſam interficere etiam priuata auctoritate mariti dolori ciuiles quidem leges concedunt: at eccleſiaſticæ in hoc facinore puniendo, quemadmodum in aliis, publicam auctoritatem expectandam, & iuſtitiæ zelo, non vindictæ ſumendæ, aut odij explendi animo procedendum eſſe cenſent, eam quæ priuata fit auctoritate vxoris necem ſummopere improbantes, & in lethalibus criminibus numerantes: ob idque decernunt [2] matrimonium con 2
trahendum reſpectu cuiuſuis mulieris, eiuſmodi ſcelere impediri, & contractum cum pellice, cuius ducendæ ſpe iſtud ſcelus patratum eſſet, dirimi.

MATRIMONIVM IMPEDIENS VXORIS INTERFECTIO.

Summa q. 61. in 3. partes diſtributæ.

AXIOMA XCII.

[2] QVEMADMODVM corporali 2
morte diſſoluitur corporale matrimonij vinculum, ita ſolenni profeſſione monaſtici inſtituti, quæ eſt quoddam ſpiritalis mortis genus, diſſoluitur ſpiritale matrimonij vinculum, quod eſt inter cõiuges, matrimonio nondum conſummato.

MATRIMONIVM DISSOLVI VOTO SOLENNI.

Proinde

Proinde vtrique coniugum ante corporum coniunctionem ad religiosum vitæ
3 institutum transeundi, & [3]ei qui in seculo relictus est, cui vult nubēdi, libera con-
1 ceditur potestas. [1]Matrimonio autem iam consummato, neutri religiosum seu monasticum vitæ institutum suscipere, neutri ad nouas transire nuptias, altero viuo, licet.

AXIOMA XCIII.

Summa q. 62. in sex partes diuisa.

1 [1]VXOREM fornicatam marito, quod
3 ad torum attinet, [3]priuato iudicio; quod ad cohabitationem verò pertinet, ecclesiæ auctoritate dimittere (paucis exceptis casibus) semper conceditur, non autem
2 [2]præcipitur, nisi fortè vxor obstinatè vellet in suo flagitio permanere. Eodem iu-
4 re [4]vxori quoque aduersus virum adulte-
5 rum vti licet. [5]Cæterùm diuortio iam facto, vtrique coniugum, altero viuo, præclusus est ad nouas nuptias aditus, nō au-
6 tem ad [6]ipsorū inter se recōciliationem, modò adsit in eo, qui sua culpa repudiationem meruerat, prioris vitæ emēdatio.

DIVORTIVM OB FORNICATIONEM TEMPORE EVANGELII.

AXIOMA XCIIII.

Summa q. 63. bipartita.

1 [1]SECVNDAS nuptias, imò etiam tertias, reliquasq; deinceps, & licitas esse, quòd superioris matrimonij vinculū alte-

rius

SECVNDAE NVPTIAE.

rius coniugis morte ſit ſublatũ, & [2]Sacra 2
mẽti dignitatẽ nõ minùs quã primas obtinere, quòd in iis materia formaq́; legitima matrimonij cernatur, tradũt probatiſſimi quiq; catholicę veritatis doctores.

Summa q. 64. in 7. partes diſtributa.

AXIOMA XCV.

[1]Non modò apertè poſcẽti, [2]ſed etiam 1
aliquo ſigno indicanti debet vterq; con- 2
iugum ex [3]æquo (incolumitate & hone- 3
ſtate ſalua) alteri etiam [7]tempore ſacro 7
(licet tunc petẽs leuiter [5]ſaltem [6]peccet) 5
matrimoniale debitũ perſoluere: [4]ob idq́; 6
neuter eorum ſine alterius conſenſu, talis 4
continentiæ voto, quo iſtius debiti perſolutio impediretur, ſe obſtringere poteſt.

MATRIMONIALIS DEBITI PERSOLVTIO

Summa q. 65. in 5. partes diuiſa.

AXIOMA XCVI.

[1]Qvanqvam matrimonij ſecun- 1
dario fini repugnet vxorum multitudo, eaq́ue ratione à naturali lege nonnihil
deflectat, [2]primis tamen temporibus di- 2
uina diſpenſatione quibuſdã multas ducere & ſimul habere vxores fuit conceſ-
ſum. At [5]concubinam, cum qua nullum 5
matrimonij ius intercederet, habere,
quòd id [3]primario matrimonij fini, prolis 3
nimirum educationi obſit, legiq́; naturali vehementer aduerſetur, nullo vnquam tempore licuit, ſed hominum ita congregatorum

POLYGAMIA.

gatorum societatẽ impietatem, eorum-
4 que [4]congressus nefandos & in lethali-
bus peccatis numerandos esse semper iu-
dicauit Dei Ecclesia.

AXIOMA XCVII.

Summa q. 66. in 5. partes distributa.

1 [1]SECVNDVM matrimonium siue
2 iuxta, siue [2]contra leges, siue [4]ante, siue
4 post baptismum, susceptum: [3]item pri-
3 mum cum ea quæ virgo non sit contra-
ctum, virum à sacris clericorum ordini-
5 bus repellit, seu (vt trito vtar verbo) ir-
regularitatem affert, [5]quæ tamen dispen-
satione, quod humani sit iuris, tolli po-
test, à summo quidem pontifice respectu
omnium, ab aliis verò episcopis respectu
inferiorum seu minorum ordinum.

IRREGVLARITAS.

AXIOMA XCVIII.

Summa q. 67. in 7. partes distributa.

1 QVAMVIS [1]matrimonium natura
2 sit indissolubile, [2]cadit nihilominus sub
diuinam dispensationem eius dissolutio.
3 [3]Vnde probabilis est illorum opinio, licet
minùs communis, qui asserunt vigente
Moysi lege, & viro vxorem repudiare, &
4 [4]repudiatæ iam mulieri alteri viro nube-
5 re ([5]non autem ad priorem reuerti, id
enim expressè lex vetat) diuino concessu

REPVDII LIBELLVS TEMPORE LEGIS.

licitum fuiſſe. Cæterum in repudij libello, qui vxori dabatur, [7]cauſſas([6]inter quas 7
proxima erat vxoris odium) non quidem 6
diſtinctè & ſpeciatim , ſed generatim duntaxat ſcribi oportebat.

Summa q. 68. trifariam diſtincta.

AXIOMA XCIX.

ILLEGITIME NATI.

[1]ILLOS qui ex vago & extra verum 1
matrimonium patrato cõcubitu naſcuntur illegitimos vocant, & ob iſtam infelicem naſcendi ſortem, ab [2]hæreditario in 2
bona paterna plenè ſuccedendi iure, nonnullisq́ue muneribus atque dignitatibus repellunt, & ciuiles, & Eccleſiaſticę leges:
[3]ita tamen vt multiplices iis ad dignita- 3
temconditionemq́ue legitimorum filiorum perueniendi vias demonſtrẽt atque patefaciant.

SCHE-

SCHEMA AVGVSTINI HVNNÆI,

IN QVO NVMERVS, ORDO ET connexio earum quæstionum, quibus à B. Thoma catholica de Sacramentis doctrina explicata est, ob oculos ponitur.

Sacramẽtorum tractatus apud B. Thomam Aquinatẽ est bipartitus.

- In priori eius parte agitur de Sacramentis generatim, videlicet de
  - Natura & propria ratione Sacramenti in genere. quæstione 60.
  - Necessitate Sacramentorum. 61.
  - Effectibus Sacramentorũ
    - effectu primario, qui est gratia. 62.
    - effectu secũdario, qui est character. 63
  - Caussa Sacramentorum. 64.
  - Numero Sacramentorum. 65.
- Baptismo; ad cuius explicationẽ
  - Prius de ipso Baptismo ista quatuor quæstionum genera tractantur
    - de natura & propria ratione Baptismi. 66.
    - quis sit idoneus Baptismi minister. 67.
    - de suscipientibus baptismum. 68.
    - de effectu baptismi. 69.
  - Deinde binæ quæstiones de iis quæ præparationem ad Baptismũ continẽt disputantur
    - vna de Circumcisione. 70.
    - altera de catechismo & exorcismo. 71.
- Confirmatione, cuius explicatio vnica quæstione in duodecim partes distributa absoluitur. 72.
- Eucharistia, ad cuius explicationem ista octo quæstionũ genera pertractantur, videlicet de
  - ipso Sacramento Eucharistiæ. 73.
  - materia eius
    - specie materiæ. 74.
    - transsubstantiatione panis & vini in corpus & sanguinẽ Christ. 75.
    - modo quo existit Christus in hoc Sacramento. 76.
    - accidẽtibus panis & vini. 77.
  - forma eiusdem. 78.
  - effectibus. 79.
  - accipientibus Eucharistiam. 80.
  - de modo quo Christus vsus est Eucharistiæ Sacramento. 81.
  - idoneo Eucharistiæ ministro. 82.
  - ritu qui debet in isto Sacramento seruari. 83.

In altera parte agitur de Sacramentis sigillatim, nimirum de

- Pœnitentia cuius disputationis sex sunt cap. de
  - pœnitentia ipsa
    - quatenus est Sacramentum. 84.
    - quatenus est virtus. 85.
  - effectu pœnitentiæ
    - in remittendis peccatis lethalibus. 86.
    - in remittendis peccatis venialibus. 87.
    - de reditu peccatorũ semel remissorum. 88
    - quantum ad recuperationẽ virtutum. 89.
  - * *Sequentia desumpta sunt ex supplemento tertiæ partis B. Thomæ.*
  - partibus pœnitentiæ
    - in genere.
    - speciatim
      - cõtritione
        - quid sit. 1.
        - de quo esse debeat. 2.
        - quanta esse debeat. 3.
        - quanto tẽpore durare debeat. 4.
        - de effectu eius. 5.
      - cõfessione, de ei⁹
        - necessitate. 6.
        - natura & definitione. 7
        - ministro. 8.
        - qualitate. 9.
        - effectu. 10.
        - sigillo. 11.
      - satisfactione
        - quid sit. 12.
        - an fieri possit. 13.
        - qualis esse debeat. 14.
        - quibus rebus Deo satisfiat. 15.
  - Suscipientibus Pœnitentiæ Sacramentum. 16.
  - De ministrorum potestate ad claues pertinente, vbi agitur
    - de clauibus nimirum de
      - propria vi & natura clauiũ. 17
      - effectu earum. 18.
      - ministris clauium. 19.
      - his in quibus rectè claues exercentur. 20.
    - excõmunicatione videlicet de
      - eius propria vi & natura. 21.
      - excommunicante & excommunicato. 22.
      - communicatione cum excommunicato. 23.
      - absolutione ab excommunicationis vinculo. 24.
    - indulgentiis; videlicet
      - de propria earum vi & natura. 25.
      - in quibus sit potestas eas elargiendi. 26.
      - quibus indulgẽtiæ prosint. 27.
  - Publica & solenni pœnitentia. 28.
- Extrema vnctione, cuius explicatio hæc quinque capita complectitur
  - De iis quæ pertinent ad naturam & primam institutionem extremæ Vnctionis. 29.
  - De effectu extremæ Vnctionis. 30.
  - De idoneo eius ministro. 31.
  - Cui impertiẽdum sit istud Sacramentum, & in qua parte corporis adhibendum. 32.
  - Possit iterari nec ne istud Sacramentum. 33.

- Ordine ad cuius declarationem de his quinque capitibus differitur
  - Ordine in genere, cuius capitis tres sunt partes, videlicet de
    - propria natura & partibus Sacramenti Ordinis.34.
    - effectu eius.35.
    - suscipientibus ordiné.36.
  - Distinctione Ordinum.37.
  - Conferentibus Ordinem.38.
  - Impedimento initiandorum.39.
  - Iis quæ sunt Ordinibus annexa.40.
- Matrimonio, cuius disputationis tria sūt capita, hæc videlicet
  - Matrimonium quatenus est naturale officium.41.
  - Matrimonium quatenus est Sacramentum.42.
  - Matrimonium vt est speciale Sacramentū, ad cui⁹ explicationem disputatur de
    - Sponsalibus.43.
    - Matrimonij propria ratione.44.
    - Matrimonij caussa efficiente seu cōsensu
      - consensu in genere.45.
      - consensu iureiurando, vel corporum commixtione firmato.46.
      - consensu coacto & conditione restricto.47.
      - consensus obiecto.48.
    - Bonis quæ oriuntur ex Matrimonio. 49.
    - Matrimonij impedimentis, vbi agitur de
      - impedimentis in genere.50.
      - erroris impedimento.51.
      - conditionis seu seruitutis impedimento.52.
      - voti & ordinis impedimento.53.
      - propinquitatis impedimento.54.
      - affinitatis impedimēto.55.
      - cognationis spiritalis impedimento.56.
      - cognationis legalis, quæ per adoptionem fit, impedimento.57.
      - frigiditatis, maleficij, furiæ & amentiæ impedimento.58.
      - disparitate cultus, qui Matrimonium impediat.59.
      - vxoris interfectione.60.
      - voti solennis impedimento.61.
      - fornicatione alterius coniugum.62.
    - Secundis nuptiis.63.
    - Quibusdā quæ sunt Matrimonio annexa, videlicet de
      - debiti redditione.64.
      - pluribus vxoribus.65.
      - defectu, qui irregularitas vulgo appellatur, per bigamiam contracto. 66.
      - libello repudij.67.
      - filijs illegitimè natis.68.

ALPHABETICVS LOCORVM COMMVNIVM in hoc libello tractatorum Index. Cuius numeri, non ad paginarum, sed ad Axiomatum numeros referuntur.

Baptismi natura & propria ratio 7
Baptismi minister 8
Baptismum suscipientes 9
Baptismi effectus 10
Catechismus & exorcismus 12
Circuncisio 11
Clauium definitio, & diuisio 48
Clauium effectus 49
Clauium minister 50
Claues in quo exercendæ 51
Confessio eiusque necessitas 37
Confessionis definitio 38
Confessionis minister 39
Confessionis qualitas 40
Confessionis effectus 41
Confessionis sigillum 42
Confirmationis Sacramentum 13
Contritionis obiectum 33
Contritio quanta esse debeat 34
Contritionis tempus 35
Contritionis effectus 36
Contritionis natura & propria ratio 32
Diuortium ob fornicationem alterutrius coniugum tempore euangelij 93
Vcharistiæ Sacramentum 14
Eucharistiæ materia 15
Eucharistiæ is locus communis vbi de trāssubstantiatione agitur 16
Eucharistiæ is locus cōmunis vbi de modo quo Christus est in Euchar. dicitur 17
Eucharistiæ is locus cōmunis vbi de panis & vini accidentibus tractatur 18
Eucharistiæ forma 19
Eucharistiæ effectus 20
Eucharistiæ sumptio 21
Eucharistia quomodo vsus sit Christus 22
Eucharistiæ minister 23
Eucharistiæ ritus 24
Excommunicationis vis atq; definitio 52
Excommunicare, & excommunicari quis possit 53
Excōmunicati consortiū esse fugiēdum 54
Excommunicati absolutio 55
Extremæ vnctionis institutio, materia, & forma 60
Extremæ vnctionis effectus 61
Extremæ vnctionis minister 62
Extrema vnctio, quibus impertienda & in qua parte corporis adhibenda 63
Extremæ vnctionis iteratio 64
Illegitimè nati 99 *Indulgētiarū vis* 56
Indulgentiarum largitores 57
Indulgentiæ quibus prosint 58
Irregularitas 97
Matrimoniū vt est naturale officiū 72
Matrimonū vt est Sacramentum 73
Matrimonij definitio 75
Matrimonij consensus 76
Matrimonij consensus iureiurando vel corporum commixtione firmatus 77
Matrimonij consensus coactus & sub conditione expressus 78
Matrimonialis consensus obiectum 79
Matrimonij bona 80
Matrimonij impedimenta in genere 81
Matrimonium impediens error 82
Matrimonium impediens seruitus 83
Matrimonium impediens votū & ordo 84
Matrimoniū impediens cōsanguinitas 85
Matrimoniū impediens affinitas 86 (87
Matrimonium impediēs cognatio spiritalis
Matrimoniū impediens cognatio ciuilis 88
Matrimonnium impediens frigida natura, maleficium, amentia, incestus, ætas immatura 89
Matrimoniū impediēs cultus disparitas 90
Matrimonium impediens vxoris interfectio 91
Matrimoniū posse dissolui voto solenni 92
Matrimonialis debiti persolutio 95

Ordinis definitio & partes 65
Ordinis effectus 6
Ordinem suscipientium qualitas 67
Ordinũ distinctio 68 Ordinẽ cõferẽs 69
Ordinis impedimentum 70
Ordinibus annexa 71
Peccatorum semel remissorum reditus 29
Pœnitentia ut est Sacramentum 25
Pœnitentia ut est virtus 26
Pœnitentiæ effectus in peccatis lethalibus delendis 27
Pœnitentiæ effectus in venialibus peccatis delendis 28
Pœnitentiæ vis ad reparãdas virtutes prius amissas 30
Pœnitentiæ partes in genere 31
Pœnitentiæ capaces qui sint 47
Pœnitentia solennis 59 Polygamia 96
Repudij libellus tempore legis Mosaicæ 98
Sacramenti in genere natura & propria ratio 1
Sacramentorum necessitas 2
Sacramẽtorum effectus principalis, qui est gratia 3
Sacramentorum quorundam effectus secundarius qui est character 4
Sacramentorum caussa seu auctor et minister 5
Sacramentorum numerus 6
Satisfactionis definitio 43
Satisfacere hominem posse 44
Satisfactionis qualitas 45
Satisfactoria opera 46
Secundæ nuptiæ 94
Sponsalia 74

FINIS.

APPROBATIO.

ISTA domini Doctoris Augustini Hunnæi collegæ nostri de sacrosanctis Ecclesiæ Christi seruatoris nostri Sacramentis Axiomata, orthodoxæ fidei consentanea esse, et eã quæ apud B. Thomam in tertia Summæ parte, eiusque supplemento de Sacramẽtis traditur, doctrinam, eruditè fideliterque comprehendere, ob idque omnibus, eam quæ ad Sacramenta pertinet Theologiæ partem discere, docere, aut disputare volentibus admodum vtilia esse, testamur. Actum Louanij 1569. nona Decembris in Cœnobio prædicatorum.

Frater Petrus Bacherius S. Theologiæ Professor ac Prior.

F. Baltassar Textor, sacræ Theologiæ professor ac Regens.

SVMMA PRIVILEGII.

CAVTVM *est Regio priuilegio, ne quis aliu[s] præter Christophorum Plantinum librum hunc c[ui] titulus est:* De Sacramentis Ecclesiæ Axiomat[a] quibus B. Thomæ Aquinatis, totiusque Ecclesiæ Catholicę de Sacramentis doctrina, breuit[er] atq. dilucidè est comprehensa, *intra sexenniu[m] imprimat, aut alibi impressum in suas ditiones importet venalémve habeat. qui secus faxit, pœ[na] fisco Regio exoluēda mulctabitur: vt latiùs in Reg[io] diplomate expressum est, Dato Bruxellæ, An[no] Domini* M. D. LXIX. XIX. *Decembris.*

Signat.

I. de Witte.

PAMELIUS
MICROLOGU
DE ECCIS.
OBSERV,


colorchecker CLASSIC
calibrite
mm